AUTHOR:

SOERGEL, JOHANNES

TITLE:

DE TIBERIO ET GAIO GRACCHIS...

PLACE:

ERLANGEN

DATE:

[1860]-69

Master Negative #

93-81265-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Soergel, Johannes,
...De Tiberio et Gaio Gracchis commentationis particula I [-IV] von J. Soergel... Erlangen, Junge, [1860]-69.
4 pts. in 1 v. 26 cm.


At head of title of pt. 1: Jahresbericht von der Königlichen studienanstalt zu Erlangen in Mittelfranken, bekannt gemacht bei der öffentlichen preisvertheilung, den 8. august 1860...

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 05/07/93 INITIALS Tm.l
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Jahresbericht

von der

Königlichen Studienanstalt

zu

Erlangen in Mittelfranken

bekannt gemacht

bei der öffentlichen Preisvertheilung

den 8. August 1860.

Vorausgeschickt ist:

De Tiberio et Gaio Gracchis commentationis particula I.

von

J. Soergel,
K. Studienlehrer.

Erlangen.
Druck der Adolph Ernst Junge'schen Universitätsbuchdruckerei.
1860

Novam permultis, quae iam de Gracchis scriptae sunt, si quis additurus est commentationem, ei ante omnia exponendum esse videatur, quibus tandem causis ad quaestionem a tot viris iisque doctissimis et ingeniosissimis identidem tractatam denuo accesserit. Haud ignorabam enim et superiore et recentiore maxime aetate ab iis viris, quorum iudicio plurimum tribuendum sit, in utramque partem satis copiose de Gracchis disputatum esse. Quae et aliae rationes quamquam me haud mediocriter a consilio de Gracchis scribendi deterruerunt, tamen et ipsa materia et pietate quadam ut permanerem in consilio adductus sum. Auctor enim scribendae huius dissertationis fuit mihi praeceptor carissimus, C. Fr. Naegelsbach, quem virum de humanitate et omni literarum genere optime meritum praematura morte bonis literis et patriae ereptum esse cum omnes, qui vel obiter eum cognoverunt, tum ii maxime dolebunt, qui eius institutione, benevolentia, consuetudine usi sunt. Qui quum in schola, quam de republica Romana habuit, optabile esse diceret, ut quis quid ipsi veteres de Gracchis eorumque studiis iudicassent accurata veterum lectione nixus denuo exponeret, inde ab illo tempore animum ad hanc quaestionem animadverti. Altera autem exsequendi consilii mei causa ipsa fuit materies, qua eorum animi, qui diutius in ea versati sunt, mirum in modum commoventur. Huc accessit, quod videbam doctorum hominum de Gracchis iudicia etiam nunc valde inter se differre. Quum enim ante Niebuhrium, immortalis memoriae virum, acerbe plerique et inique de Gracchis iudicarent, eosque turbulentos multitudinis concitatores fuisse omnesque omnium res convertere conatos esse putarent, hic primus vir clare demonstravit, Gracchos minime confundendos esse cum mobilibus illis atque ambitiosis tribunis plebis, qui, quum reipublicae salute plane omissa omnia ad sua referrent commoda, ipsam civitatem vehementissime perturbaverunt et postremo perdiderunt. Jam autem mutata quae antea de Gracchis regnaverat sententia, ut in his rebus fieri assolet, rursus laudatores Gracchorum omnem modum excesserunt, consentiens fere veterum de Gracchis iudicium nihil curantes. Recentiore aetate exstiterunt etiam, qui, quae hodie flagrant de rebus publicis certamina, ad illa tempora referentes, prout vel unius imperio

civitatem moderandam esse censent vel dominationi populari favent, Gracchos, quos multitudini eiusque imperio studuisse existimant, aut vituperant immoderate aut effusis laudibus efferunt. In tanta autem sententiarum discrepantia operae pretium esse duxi veterum locis, qui de Gracchis agunt, diligenter inter se comparatis quid ipsi veteres de iis iudicaverint exponere et demonstrare. Quamquam enim ipsi veteres in singulis partibus valde inter se abhorrent eorumque iudicia partium studiis metienda sunt, tamen nisi hoc quasi fundamento nixi ab opinionis arbitrio et erroribus abstinere non poterimus. Etenim si omnes scriptores veteres, qui quidem de Gracchis vel copiosius scripserunt vel summatim eos attigerunt, eos consensu aut laudant aut improbant, certe nemo infitiabitur, eorum judicia singulorum recentioris aetatis praejudicatis opinionibus longe praeferenda esse. Omnes autem omnium qui unquam aliquid de Gracchis ediderunt dissertationes legere cum neque voluerim neque potuerim, eorum libros respexisse satis habui, qui vel auctoritate et fama excellunt vel novi aliquid ad recte aestimanda Gracchorum studia attulerunt.

Jam supra commemoravimus, recentiore demum aetate a Niebuhrio maxime acquius et dignius de Gracchis iudicari coeptum esse. Hoc quidem iam Heyne perspexerat leges Sempronias non ad universum agrum, sed ad agrum publicum tantum pertinuisse. Prava autem quae antea valuerat opinio ut obsolesceret Heerenii maxime, qui dissertationem de Gracchorum motibus publicavit, et Hegewischi opera factum est, qui et ipse libellum de Gracchis edidit. Hos secutus est G. B. Niebuhr, qui ut universam historiam Romanam explanavit et illustravit, ita huic quoque parti natura ac ratione agri publici accurate exposita clariorem lucem attulit. Hic autem vir, praeclarissimis Gracchorum virtutibus magna admiratione affectus eosque optima quaeque in rebus publicis gerendis spectasse haud ignorans, quum eorum existimationem tamdiu imminutam splendide et fortasse nimis splendide restituisset, fieri non potuit quin tanti viri auctoritate iam plane mutarentur de Gracchis iudicia et qui antea in numerum hominum seditiosorum effrenata licentia omnem reipublicae statum concutientium referrentur, iidem iam ut liberatores atque vindices populi summis laudibus ferrentur. Hand quidem sententiam qui impugnarent multi postea exstiterunt; quorum omnium iudicia recensere cum longum sit, in iis constiti, qui vel nuperrime de Gracchis scripserunt vel praeter ceteros auctoritate et doctrina florent. Hoc loco in primis Carolus Nitzsch commemorandus est, qui satis amplum de Gracchis edidit librum, propter iudicii subtilitatem et diligentem operam in eo consumtam valde probatum. Hunc secutus est Lau, qui et ipse de Gracchis scripsit. Huius librum cum Nitzschii libro nulla parte comparari potest. Sequitur sane Nitzschium ducem plurimis locis singulari cum fide et simplicitate; si interdum ab Nitzschii auctoritate abhorret, fere in errores vel inanes declamationes abstrahitur. Qui de rebus publicis aliter atque ipse iudicant, eos superba solet acerbitate persequi; Buchholzium maxime et Reiffium, quorum quidem libris me neque minus neque magis debere quam Laui libere profiteor, ut immoderatos regni laudatores et liberae reipublicae contemptores effusa carpit castigatione. Ipse cum Gracchorum

consilia probet, ut sunt probanda, etiam omnia fere Gracchorum facta, in quibus persaepe maiore impetu quam moderatione usi sunt, laudat. Etiam hac igitur in re apparet, eos, qui in pertractanda historiae parte communes de rebus publicis rationes sequantur atque ad hanc quasi normam ac regulam laudem atque vituperationem referant, et ipsos in errores duci et eorum, qui aliter sentiant, iudicia inique aestimare.

Mommsenii librum ei, qui de historiae Romanae parte scribit, plurimi momenti esse per se apparet; hunc enim virum singulari prorsus mentis acumine praeditum permultos errores sustulisse nemo ignorat. Neque vero hoc loco silentio praetermittere possum, qua potissimum re ut in ceteris libri partibus ita in hac de Gracchis scripta offendar. Mommsen nimia saepe severitate de hominibus iudicare solet; acerbe prorsus et contemptim in eos invehitur, qui non idem semper in rebus publicis sibi proposuerunt, propositum summa cum constantia persecuti sunt. Ita fit, ut nonnulli viri, qui temporibus mutatis etiam consilia et rationes mutarent, id quod persaepe optima mente fieri potest, gravissima castigatione ab eo vexentur; non minus inde fit, ut viros fortes et propositi tenaces, etsi iustitia iis defuit, summis laudibus ferat, ut Caesarem. Sane concedendum est, inconstantiam et infirmitatem gravia eorum vitia esse, qui rempublicam gubernent; at temporum nobis in iudicando ratio habenda est; quod si observaverimus, multa nobis longo temporis intervallo remotis excusatione digniora videbuntur. Hoc autem omittit Mommsen; et cum ex rebus quas aliquis publice gessit de universo quasi homine iudicat, nihil curans qualem in ceteris vitae partibus se praestiterit, vituperationis modum haud raro excedit, quod in Cicerone videmus. Huc aliud accedit. Summa est dicendi elegantia et ubertate, vi et gravitate. Adeo autem non horret dictiones fortissimas, ut nonnunquam auream mediocritatem transeat. Qua severitate de hominibus iudicat, eadem dictionis gravitate et saepe acerbitate sententias exprimit. Valde hac re inter se differunt Niebuhr et Mommsen. Niebuhrium summae gravitatis fuisse constat; multos qui antea laude florebant, haud levi castigat vituperatione. Nihilo minus autem Niebuhrii lectione longe aliter afficimur quam Mommsenii. Etenim ex omnibus historiae Romanae partibus a Niebuhrio scriptae summa eius admiratio et pietas, qua antiquitatem reverebatur, apparet; Niebuhr non sola ratione et mente, sed animo quoque et pectore in rebus antiquis versatus est. Contra Mommsenii librum perlegentes maxima quidem admiratione singularis eius acuminis et doctrinae afficimur, sed nimia eius iudicii severitate et acerbitate, qua vel optimos viros insequitur, non nihil saepe offendimur.

Ex iis autem scriptis, quae de Gracchis prodierunt, etiam E. A. J. Ahrensii Tib. Gracchi defensio mihi respicienda fuit. Qui vir quum sibi proposuisset Tiberii omnia etiam facta defendere, ita in errorem delapsus est, quod non distinxit inter consilia et facta Tiberii. Mea enim sententia, ut iam hoc loco quid ipse de Gracchis sentiam profitear, Gracchorum et Tiberii maxime voluntas et consilium ab omnibus partibus laudabilia fuerunt; erat enim amantissimus populi, neque quidquam aliud spectabat, nisi ut multa et magna mala, quibus respublica laborabat, sanarentur. Quo maiore autem

amore populum amplexus est, et quo maioribus cum calamitatibus premi videbat, eo promptius et ardentius his malis mederi studebat. Quam autem ingressus est viam ad exsequenda consilia sua, ea minime est probanda. Hoc iudicio multae praeclarae et divinae prorsus Tib. virtutes minime obscurantur. Ex tota enim historia Romana vix unum novi, qui humanitate, comitate, amabilitate Gracchis possit comparari. His autem virtutibus ne iudicium nostrum de Gracchorum factis corrumpatur, valde cavendum est, id quod Ahrensio accidit, tam immoderato Ti. Gracchi laudatori, ut omnia eius facta probet, ex fontibus eos solos sequatur, qui Tib. favent, ad iudicia prolabatur falsissima. Sic — ut unum locum proferam — Ahrens Plutarchum secutus narrat Tib. et Octavium quum de lege agraria dissiderent eamque in concionibus aut defenderent aut impugnarent, conviciis et maledictis plane abstinuisse, quum Appianus de bell. civ. I, 12 rem longe aliter tradat. Quod Ahrens hac data occasione in universum iudicat, eos qui meridiem versus habitent, si in rebus publicis dissentiant, a conviciis abstinere et solas res, non homines spectare, si quidem affectibus imperare didicerint, quum terrarum septentrionalium incolae sententias suas impugnari aegre ferant et stomachentur, hoc Ahrensii commentum esse ex ipsis veterum scriptis facile demonstrari potest. Res longe aliter se habet. Non facile nostro tempore tanta se verborum acerbitate et indignitate adversarii invicem vexant et lacerant, quanta apud veteres. Quid enim dicamus, si Cicero inimicum, hominem consularem, his verbis alloquitur: Quid te, asine, literas doceam, non opus est literis, sed fustibus? Atqui Cicero in eruditissimis et humanissimis illius temporis viris fuit. Quid porro de Demosthenis et Aeschinis et multorum aliorum conviciis dicamus, quibus inter se dedecoraverunt? Cur res ita se habeat demonstrare longum est; causa et in rebus publicis et in commutata de rebus sacris opinione sita est. Sed ne longius a proposito aberremus, iam ad ipsam materiam transeamus.

Natus est Tiberius Sempronius Gracchus patre Tiberio et matre Cornelia, Scipionis Africani maioris filia, anno a. U. 591, si quidem Plutarchi verba C. Gr. 1 Tiberium nondum triginta annos natum mortem obiisse tradentis recte se habent. Matrimonium autem Tiberii anno 590 initum esse putamus, quam sententiam etiam Nitzsch sequitur. Discrepant sane ab hac re, quae apud Valer. Max. IV, 2, 3 et apud Gell. 12, 8 legimus. Hi enim tradunt P. Scipionem depositis inimicitiis Ti. Graccho filiam virginem viro iamiam maturam despondisse. Cum autem Scipio, qui ultimam aetatis partem Literni degit, iam anno 569, id quod probabilius est, vel anno 571 mortuus sit, ipse Scipio filiam Tiberio nullo modo potuit despondere, vel si cum nonnullis Tiberium iam anno 585 natum esse constituerimus. Etenim etsi non nominatim nobis traditum est, Tiberium Corneliae liberorum natu maximum fuisse — fuit autem maximus, si quidem annum, quo matrimonium inter Tiberium et Corneliam iunctum et quo Tiberius natus est, recte statuimus — hoc tamen constat, Tiberium novem annis maiorem fuisse Gaio. Jam autem scimus — vide Nitzschi librum p. 204 — singulis annis

Corneliam Tiberio filium vel filiam peperisse; inde colligitur, Tiberium si non maximum natu, at unum ex maximis fuisse Corneliae liberis. Quod autem Cornelia marito mortuo etiam iuvenis dicitur, cum multis aliis rebus nobis documento est, Corneliam, quum nuberet Tiberio, annum vicesimum non multis annis egressam esse. Hoc si verum est, Cornelia, quum pater moreretur, infans fuit, de qua despondenda pater ne potuit quidem cogitare; neutiquam virgo iamiam matura fuit. Quod Tib. quaestura Hispaniensi iam anno 617 functus est, ideo neque Ellendti coniectura Tiberii annum natalem in annum 588 vel 590 incidisse statuentis, neque Westermanni opinio eum anno 585 natum esse existimantis, si quidem suo anno illo munere functus sit, probanda videtur; etenim legem Villiam non semper valuisse multis exemplis docemur. Hac de re vide Mercklini de Corneliae vita commentationem p. 8. Mercklin Tib. anno 592 vel 591 natum esse concludit; propterea autem annus 591 praeferendus mihi videtur, quod Tib. iam anno 607 Africano duce stipendia meruit, quo tempore, si anno 591 natus est, annum egit sextum decimum. Romanos valde adulescentulos imperatores in castra secutos esse non est ignotum; sed Tiberium ne sedecim quidem annos natum iam ad bellum profectum esse vix est credibile. Plutarchi igitur auctoritate nixus, quam quod in huiusmodi rebus repudiemus omnino non est, Tib. anno 591 natum esse existimo.

Optimis parentibus Tib. natum esse omnes veteres inter se consentiunt; huius rei locos classicos vide apud Ciceronem de finib. bon. et mal. IV, 24, 65; in Catil. I, 2, 4; de offic. II, 23, 80; Valer. Maxim. I, 1, 3; VI, 5, 3. Cicero de natur. deor. II, 4, 11 Tib. patrem dicit virum sapientissimum atque haud sciam an omnium praestantissimum. De offic. II, 12, 43 haec legimus: Tib. Gracchus P. T. tam diu laudabitur, dum rerum Romanarum memoria remanebit. Quantam animi magnitudinem in P. Scipionem, a quo reipublicae causa dissentiebat, praestiterit, legimus apud Aul. Gell. VII, 19; cf. Aurel. Vict. de viris illustr. c. 57; Valer. Maxim. IV, 2, 3; Cicer. de provinc. consul. 8, 18; de tota re cf. Heerwageni de P. et L. Scipionum accusatione quaestionem. Neque minus laudatur rarum eius amoris coniugalis exemplum, a multis scriptoribus nobis traditum. Cum enim duos angues domi comprehendisset, haruspices convocavit. Qui quum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum: si feminam, ipsi, aequius esse censuit se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam adolescentem: feminam emisit, ipse paucis post diebus est mortuus; vide Cic. de divin. I, 18, 36; II, 29, 62; Valer. Maxim. IV, 6, 1; Aurel. Vict. de vir. ill. 57; Plin. natur. hist. VII, 36, 122; de religione eius vid. Cic. de natur. deor. II, 4, 10; de divin. II, 35, 74; ad Quint. fratr. II, 2, 1. Ut breve faciam, tot tantisque Tib. virtutibus ornatus fuit adeoque constantia, humanitate, modestia praestitit, ut Nitzschii iudicio in omni rerum Romanarum memoria vix quisquam ei praeferendus videatur. Idem censet Niebuhr, qui in historiae Rom. parte III, p. 341 totam Gracchorum gentem singulari quadam humanitate ac bonitate eminuisse dicit, quae quidem virtutes ab ingenio et natura Romana persaepe alienae erant. Huc ea quoque referenda sunt, quae idem vir

ingeniosissimus p. II, 427 de constantia quadam et stabilitate nonnullarum gentium in liberis rebus publicis adnotat. Posteros enim tenaciter saepe rationem in re publica gerenda retinuisse a maioribus quasi hereditate sibi relictam; itaque nonnullas familias semper patronos et defensores plebis fuisse, ut Valerios, cum alii pro optimatibus contumacissime propugnarent, ut gens Appia; sic Gracchos quoque semper veris populi commodis inservire et infimis quoque humanitatem praestare solitos esse. De Gracchorum gente quidquid scimus copiosius persequi cum longum sit, qui accuratam huius rei cognitionem sibi parare vult, is legat Nitzschii de Gracchis librum p. 206; Sallust. de bell. Jugurth. 42. Cornelia autem Gracchorum mater tantopere et aequalium et posterorum laudibus floruit, ut celebratissimis matronis, de quibus memoria nobis prodit, iure annumeranda videatur. Fuit Scipionis Africani maioris filia summa doctrina et humanitate exculta. Africanus enim, literarum Graecarum peritissimus, Graecorum maxime utebatur consuetudine; sic autem factum est, ut filia quoque summis et animi et ingenii virtutibus praedita Graecorum doctrina et literis penitus imbueretur. Sed docte et diligenter de Cornelia Mercklin scripsit in commentatione de Corneliae vita, moribus et epistolis. Haec femina quum gente nata esset de republica Romana optime merita, cuius pater hostem devicisset populo Romano infestissimum, fieri non potuit, quin summa inde patri parta gloria in filiam quoque recideret. Ipsa autem gente nata honestissima, summis laudibus ornata, non potuit non optare ut summa haec gloria in familia sua retineretur et splendor a maioribus profectus etiam ad posteros propagaretur. Alere vero laudis cupiditatem et ad summa quaeque inflammare, quum per se minime est vituperandum, tum in republica Romana in qua iis summa quaeque patebant, qui gentium in numero erant ad spem magistratuum quasi ad ius sibi debitum aspirantium, satis fuit usitatum. Talem autem matrem, quae ipsa gloriosissima reipublicae Romanae tempora viderat et summis virtutibus ornata erat, et ipsam ad optima quaeque in republica spectasse et filios adhortatam esse, nemo infitiabitur. Exstiterunt apud veteres eius epistolae ad filios scriptae; etiam nos habemus Corneliae epistolas; quas quum multi pro falsis habeant, sunt qui eas vere a Cornelia profectas esse iudicent; vide Mercklini de hac re disputationem. Alio fortasse loco quid ipse de iis existimem copiosius exsequar. Miror enim etiam recentiore aetate a multis magnique momenti rerum scriptoribus has epistolas genuinas haberi, quum minus ex verbis quam ex rebus, quas habent, evidentissime demonstrari posse mihi videatur, eas a Corneliae iudiciis et sententiis mirum quantum abhorrere. In huius autem matris gremio ac sinu educati sunt pueri, ut legimus in Tacit. dial. de orat. 28 et in Cicer. Bruto 68, 211; qui Gracchos filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris dicit. Scimus enim Corneliam unam maxime sermonis elegantia et venustate excelluisse; vide Quint. de inst. orat. I, 1: Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus. Tota autem Scipionum gens et ipsa Cornelia quum literis Graecis penitus esset imbuta, matrem

filios quoque Graecis literis erudiendos curasse per se patet. Habuit autem exquisitissimos ex Graecis magistros, quorum Diophanis Mitylenaei, illius temporis disertissimi, et Blossii philosophi Cumani nomina celebratissima sunt, vide Cic. Brut. 27, 104. Ut sola autem mater cum Tiberii tum minorum inprimis liberorum educationi praeesset, inde factum est, quod pater duodecim liberis natis matura morte ereptus est. Paucis annis post annum 600 a. U. diem supremum obiisse eum verisimile est. Quanta autem Corneliae fuerit liberorum caritas et morum sanctitas, et multa alia nobis probant et inde potest colligi, quod postea honestissimam et splendidissimam Ptolemaei regis Aegyptii conditionem aspernata est. Huius igitur matris et talium praeceptorum institutione Gracchi usi sunt. Inde fieri non potuit, quin Tiberius optimo ingenio praeditus, a praeclarissima matre et nobilissimis illius temporis philosophis et rhetoribus institutus, gentis suae quasi hereditate ad clementiam et humanitatem destinatus, viri summi Africani avi sui memoria ad summas res gerendas incitatus, iam puer animum ad rempublicam animadverteret et ipse maiorum instar rerum gestarum laude florere cuperet.

Consentiunt in hac re non modo laudatores sed etiam obtrectatores Gracchorum Tiberium jam adolescentulum multo omnes aequales superasse non modo ingenii, doctrinae, eloquentiae virtutibus, sed morum etiam sanctitate et singulari modestia et humanitate. Harum virtutum laudibus scriptorum veterum libri referti sunt; vide praeter Plutarchum Cicer. de invent. I, 4, 5; quo loco Gracchi cum iis componuntur, in quibus erat summa virtus et summa virtute amplificata auctoritas et, quae his rebus ornamento et rei publicae praesidio esset, eloquentia; de orat. I, 9, 38; Brut. 27, 103; Tuscul. disp. I, 3, 5; de lege agrar. II, 12, 31; de harusp. resp. 19, 41. Etiam Velleius Paterculus, qui Tib. factis suis rempublicam Romanam in praeruptum atque anceps periculum adduxisse iudicet, Tib. virtutes singulares summis laudibus fert; haec enim sunt eius verba in histor. Roman. II, 2, 1: Tiberius Gracchus, clarissimi atque eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo quaestore et auctore foedus Numantinum ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se pactum infirmari, nunc similis vel iudici vel poenae metuens discrimen, tribunus plebis creatus, vir *alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit*, descivit a bonis.

Eloquentiae maxime Gracchos studuisse eiusque laude praeter ceteros floruisse, ita ut Gaius summis oratoribus Romanis annumeraretur, a Mommsenio etiam princeps iudicaretur, nemo ignorat; sed Tiberium quoque insigni eloquentiae laude valuisse, testantur hi loci: Cicer. ad Herenn. IV, 5, 7; Brut. 25, 96; 86, 296; 97, 333; Vellei. Paterc. I, 17, 3; II, 2 et II, 9, 1; Flor. III, 14; Quintil. instit. orat. II, 5; VIII, 6; XII, 10.

Qualis autem Tiberii fuerit eloquentia et qua potissimum parte a Gai fratris diversa, cum ex aliis scriptoribus tum ex Plutarcho cognoscimus. Tiberius enim in vultu et motibus placidus et mitis simile etiam eloquentiae genus prae se tulit, id ante omnia

spectans, ut audientium animos placaret et misericordiam moveret; dictio eius elegans fuit et pura. Omnino tanta fuit adolescentis sanctitas et modestia, ut nihil minus metuendum esse videretur, nisi ut rebus audacius et calidius gestis et sibi pararet pericula et perturbaret rempublicam vehementissime.

Quae quum ita essent, Tiberius omnium fere benevolentiam et amorem sibi paravit; et postea quoque, quum reipublicae causa optimates et qui eorum rationibus favebant a Tiberio dissentirent, magna amicorum copia qui amicitiam et fidem vel morte praestiterunt summas eius virtutes testantur. Sic factum est, ut quum vix pueritiam egressus esset in augurum collegium cooptaretur. Etiam ex matrimonio, quod cum filia Appii Claudii, senatus principis, iniit, quanta iam tum fuerit adolescentuli auctoritas et gravitas accurate perspicitur; vide de hac re Plut. Tib. 4.

Sedecim annos natus anno 607 Tiberius Scipionem in Africam secutus est. Ibi non minus laude bellica et virtutibus militaribus floruit, quam domi eloquentia et ceteris pacis virtutibus; qui quidem cum Fannio aequali et familiari primus hostium muros ascendit atque corona murali donatus est. Jam inde ab illo tempore magnus erat eius amor magnaque de eo civium exspectatio.

Nonnullis autem annis post anno 617 cum quaestor creatus esset, Mancinum consulem in Hispaniam ad bellum Numantinum comitatus est. Ibi vero praeclarae eius virtutes mirum quantum effloruerint; tanta fuit eius prudentia et fortitudo, tanta reverentia et modestia, qua vel in Mancinum, omnium ducum Romanorum miserrimum, usus est, tanta eius etiam apud hostes auctoritas et fides, ut unus omnium rebus plane desperatis salutem afferret. Cum enim exercitus Romanorum plane esset inclusus neque via salutis superesset, sed totus viginti millium hominum exercitus certae morti obiectus esset, Tiberii opera induciis factis servatus est. Hispanos in solo Tiberio fidem posuisse, inde verisimile est, quod iam multorum Romanorum infandam perfidiam cognoverant et Tiberius ipse fama florentissimus etiam patris memoria, cuius summam iustitiam et fidem Hispani perspexerant, valde commendabatur. De singulari fiduciae documento, quod Numantini Tiberio dederunt, vide apud Plutarch. Tib. 6. Hanc autem pacem ut populo Romano indignam senatus ratam esse vetuit, nimirum maiorum exempla imitatus, quum ipse a prisca illa gravitate et virtute plane descivisset. Etenim, ut apud Sallustium legimus de bell. Jugurth. 41, gravissimum harum rerum auctorem, paucorum arbitrio tum belli domique agitabatur: penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant. Cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere; polluere et vastare omnia; nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit; cf. eiusdem scriptoris de bell. Jugurth. 31, et ex fragmentis Macri Licini trib. pl. orationem.

Quidquid autem de senatu Romano iudicamus, qui hanc pacem improbavit, Tiberius quidem culpa ita fuit vacuus, ut summis potius laudibus dignus esset. Fuit sane in auctoribus huius foederis, sed propterea quod Numantini soli huius adolescentis

probitati confidebant, iam toties Romanorum perfidiam experti. Quum vero imperator gloriam fere omnem rei bene gestae ad se traheret, idem rei male gestae culpam debebat subire et poenam.

Prisca autem et gloriosa Romanorum tempora tum praeterierant, quibus cladibus vel gravissimis nihil fracti bello nullo alio modo finem imponere solebant nisi hostibus aut devictis aut deditis. In ipso bello Numantino dilucidissime apparebat, ad quantam iam perniciem disciplina Romana delapsa esset; tot Romanorum exercitus a numero multo minore foedissime fugati, tot et tam infanda crudelitatis et perfidiae exempla a Romanis edita erant, ut iam nomen Romanum summo odio et despicatui esse inciperet. Nihilo minus autem senatus, non reipublicae sed suis commodis consulens, prisci temporis virtutem et gravitatem simulavit et factum improbavit auctori ipsi honestissimum. Placuit autem patribus improbato foedere consulem cum iis omnibus, qui iureiurando foedus sanxissent, vinctos hostibus tradendos esse. Tum vero quantum esset populi in Tiberium studium, quanta eius benevolentia cognitum est; etenim consulem quidem hostibus tradendum censuerunt, ceteris autem Tiberii gratia pepercerunt; vide Plutarch. Tib. 7. Aurel. Vict. de vir. ill. 64 Tiberium periculum deditionis eloquentiae gratia superavisse tradit. Sane verisimile est, Tiberium, qui tum primum sordidas saepe et humiles optimatium rationes plane perspexerit, eloquentia, qua omnes superabat, et ad suam defensionem et ad detegenda adversariorum neutiquam honesta consilia usum esse fortissime. Etiam Scipionem prodit Plutarchus omnem tum operam impendisse ut Tiberius servaretur. Utut res fuit: Tiberius illo facto summam laudem meruerat, nedum afficeretur poena turpissima.

Nunc ad locum progressi sumus, quo veterum iudicia valde inter se distant. Cum enim Tiberius ex Hispania cum consule revocatus domum rediisset, animum ad rempublicam convertere coepit et anno 621 tribunus plebis factus legem illam tulit agrariam tot turbarum causam, ipsi latori funestam futuram. Non novam autem tulit legem, sed veterem ex longo tempore obliteratam revocavit, multis additis rebus, quibus legem gratiorem redderet et acceptiorem. Summa autem eius legis, de qua alii scriptores aliter tradunt, haec videtur fuisse: Ne quis ex publico agro plus quam quingenta iugera possideret, ita tamen, ut filiis quoque familias ducenta quinquaginta iugera possidere liceret; vide Zeissii commentationem de lege Thoria agraria p. 8. Cum vero apud Livium epit. 58 et apud Aurel. Vict. de vir. ill. 64 legamus, mille iugera lege Sempronia ex agro publico possidere licuisse, alii autem scriptores nominatim de quingentis dicant iugeris et dimidia parte filiis familias concessa, de qua re qui de mille iugeris dicunt tacent, ita mihi haec varietas explicanda scriptorum videtur esse, ut summus agri publici modus mille iugera essent. Etenim verisimile est non infinitum iugerum numerum occupari potuisse, sed praescriptum fuisse modum quendam, quem transire non liceret.

Deinde cum lex Licinia ex tot annis neglecta esset, Tiberius ut legis asperitatem minueret, iis publice damnum sarciendum esse censuit, qui lege sua agro publico decedere

cogerentur. Ita autem quum publice magna pecunia solvenda esset, Tiberius tulit, ne ager publicus inter inopes dividendus privatus fieret, sed in possessionem tantum eorum transiret, ita ut possidentibus tributa solvenda essent, quum agro privato praeter tributum militare onera importari non possent. Agrum autem divisum ne vendere liceret, ut non iusti fierent domini, sed usum tantum eius pauperes perciperent. Cum denique bene novisset Tiberius legem Liciniam propterea maxime nihil valuisse, quod non ipsa lege ut vigeret et observaretur provisum erat, ipse tulit ut triumviri ad agros dividendos crearentur, qui in annos singulos mutarentur. Eorundem ad arbitrium reiiciendum esse, qui ager esset publicus, qui privatus.

Priusquam autem inquiramus, fueritne haec lex reipublicae Romanae salutaris an exitiosa, praemittendum mihi videtur, quibus tandem causis et rationibus Tiberius ad legem ferendam impulsus sit. Variae ab variis auctoribus afferuntur. In Plutarchi vita Tiberii legimus, postquam exposuit, summam illo tempore inopiam civium fuisse. Italiam foedissime devastatam, civium numerum ad minimum minutum, contra servorum in immensum auctum, pericula autem reipublicae inde orta maxima, Tiberium ad hanc legem accessisse Diophane rhetore et Blossio philosopho instigantibus; etiam Corneliam matrem, quam pigeret Scipionis socrum, non matrem Gracchorum nominari, filium ad rempublicam capessendam incitasse. Absurdum et Tiberio indignum est, quod addit Plutarchus, Spurium quendam Postumium, Tiberii aequalem, in causa fuisse, cur Tiberius ad hanc legem accederet sibi perniciosam. Hunc enim cum Romam reversus summa dicendi laude florere vidisset, Tiberium ut superaret adversarium, rem subiisse ut gloriosissimam ita infestissimam sola laudis cupiditate et ambitione. Quod qui dicunt, eos Tiberii animum et mores plane ignorasse non est quod demonstremus. Gracchi enim quum in nobilissimarum gentium numero essent et cum principibus civitatis viris aut cognatione aut affinitate coniuncti, quum ipsi omnibus ingenii virtutibus excellerent, si viam illo tempore tritam cum optimatibus ingredi voluissent, haud dubie principem in civitate locum obtinere potuissent. At naturae praestantia quo minus hoc facerent prohibiti sunt; atque ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas et dissensio civilis, quasi permixtio terrae, oriri coepit; vide Sall. de bell. Jugurth. 41. Plurimi autem scriptores aliam Tiberium cur hanc legem ferret rationem habuisse tradunt. Legimus enim apud Ciceronem de harusp. resp. 20, 43 haec: Tiberio invidia Numantini foederis, cui feriendo, quaestor C. Mancini consulis cum esset, interfuerat, et in eo foedere improbando senatus severitas dolori, et timori fuit: itaque illum fortem et clarum virum a gravitate patrum desciscere coegit. Item Orosius Gracchum iratum nobilitati, quod inter auctores Numantini foederis notatus esset, agrum, a privatis eatenus possessum, populo dividi statuisse dicit V, 8; similia Florus prodit III, 14. Velleius autem Paterculus II, 2 Tiberium ait, quo quaestore et auctore foedus Numantinum ictum erat, nunc graviter ferentem aliquid a se pactum infirmari, nunc similis vel iudici vel poenae metuentem discrimen, trib. pl. descivisse a bonis. Hac quidem ratione

Tiberium non esse commotum, non est quod multis verbis demonstremus; etenim Tiberio, quum trib. pl. creatus legem agrariam ferret, iam compluribus annis ex illo foedere praeteritis nihil tale metuendum erat.

Iniquius etiam et indignius iudicat Dio fragm. 34, 86, cuius auctoritati in hac re minimum tribuo. Dicit enim Gracchum, cum non ex virtute ac veritate, sed temere res diiudicari cerneret, metu et dolore foederis Numantini et senatus inimicitia hanc quidem viam gloriae tanquam parum tutam reliquisse; ceterum quum principem locum quocunque demum pacto assequi concupisceret, idque per plebem facilius quam per senatum consecuturum se speraret, a patribus eum ad plebem descivisse. Appianus quibus rationibus Tib. ad legem suam agrariam impulsus sit non affert; sed exposita tristissima conditione, in qua tum Italia erat, facile potest perspici, hac potissimum Tib. ad res gerendas adductum esse.

Constat inde ab antiquissimis temporibus Romanae fuisse consuetudinis oppidum vel populum armis subiectum tertia agri parte mulctare. Hic autem ager aut privatus aut publicus fieri solebat Romanus; publicus is plerumque fiebat ager, qui bello devastatus erat; quum autem Romani bellis bella annecterent, agri publici amplitudo maxima facta est; vide App. de bell. civil. I, 7. Publico autem agro, qui manebat in dominio civitatis, aut in universum Romani tanquam pascuis utebantur (ager pascuus), aut a singulis eum occupari permiserunt (ager occupatorius). Occupati agri appellabantur possessiones, quae nunquam ne longissima quidem possidendi continuatione poterant a privatis hominibus usu capi nec in privatos agros commutari, sed proprietas possessionum semper pertinuit ad civitatem, possessoribus usu tantum concesso. Possessiones non referebantur in censum, sed iis a possessoribus vectigalis nomine solvebatur decima pars frugum et ex arbustorum proventu pars quinta. Praeterea iis quoque, qui greges in pascuis publicis alebant, scriptura indicta est, tam minoris quam maioris pecoris. Haec ipsa sunt Zeissii verba ex commentatione sumta de lege Thoria agraria p. 5. Huius autem Romanorum instituti eam fuisse causam dicit Appianus, ut hominum numerus in Italia augeretur, quum pauperibus agrum occupare et familiam alere liceret. Res autem longe aliter ac rati erant evenit. Divites enim, qui res ad colendos agros devastatos necessarias facilius sibi comparare possent, iam ab initio majorem agri publici partem occupaverunt et procedente tempore vel emtione vel vi etiam inopum vicinorum agros suis adiunxerunt, ita ut agricolarum Italorum numerus in dies minueretur, latifundia, quae Italiam perdiderunt, ad immensum augerentur. Huic aliud accessit malum. Quum enim superiore tempore lege Licinia provisum esset, ut quidam hominum liberorum numerus in agris publicis a singulis occupatis aleretur, neglecta hac lege ut liberorum numerus in dies magis minutus est, ita servorum greges per omnes fere agros se effuderunt. Liberi enim, quibus stipendiorum onus iniunctum erat, minus utiles erant ad colendos pro dominis agros, quum servi, qui vacarent militia, nunquam ab agris ad signa avocarentur. Itaque latifundiorum possessores, qui posthabitis reipublicae salute et populi rationibus

omnia fere ad suum commodum suamque utilitatem referrent, liberorum hominum opera omnino fere abstinebant et solis fere servis ad agros colendos utebantur. Inde duplex civitati ortum periculum est. Agricolarum enim numero adeo deminuto vix poterat cognosci, unde in posterum apti ad bella milites comparari possent. Agricolae enim superioribus bellis virtutem illam et constantiam praestiterant, qua imperium Romanum ad tantum majestatis fastigium provectum est, agricolae suis vulneribus suoque cruore agros illos expugnaverant, qui iam servorum gregibus referti erant; vide hac de re Caton. de re rustic. prooem.: ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur. Servorum autem numero in immensum aucto quanta civitati immineret calamitas, tum maxime bello servili in Sicilia orto cognitum est. Servis etiam liberi homines inopia pressi se adiungebant, quum hac una re ex tristissima conditione se emersuros esse sperarent; vide Mommsenii hist. R. II, 73. Has calamitates maximas fuisse, ita ut vel salutem imperii Romani in periculum adducturae esse viderentur, quum rerum memoria traditum est, tum ex ipsa rei natura apparet. Deinde ex ipso Gai fratris libro scimus, quem Plutarch. in Tib. vita c. 8 commemorat, Tiberium quum in Hispaniam proficiscens per Etruriam veniret, quae provincia calamitatibus, de quibus supra diximus, omnium maxime devastata erat, tristissimam Italiae conditionem perspexisse et tum primum animum ad legem suam animadvertisse, quam mala illa sublaturam esse speraret. Denique si consideraveris Gracchorum mentem semper humanitate et misericordia et bonitate eminuisse et infimorum jura defendisse, Tiberium, in quo hae virtutes omnium maxime inessent, inopia populi et periculis reipublicae inde natis vehementissime commotum esse minime mireris.

Neque vero est quod metuentes, ne singulares Tiberii virtutes inde obscurentur, negemus magnum Tiberio stimulum ad res gerendas laudis fuisse cupiditatem et voluntatem summam gloriam a maioribus partam, quatenus ipse posset, servandi et augendi. Ne illud quidem, quo plurimi veteres scriptores maxime Tiberium ad legem ferendam stimulatum esse tradunt, etsi non primo loco ponendum puto, nihil omnino ad Tiberium valuisse credo, dolorem et indignitatem improbati foederis Numantini, cuius ipse auctor fuerat. Etenim si illo foedere, id quod negari non potest, totus exercitus ab interitu servatus est, Tiberii iram in senatum, qui rem ipsi honestissimam in opprobrium et periculum verteret, vehementissime esse commotam non est mirum, quippe qui bene sciret senatum non vera gloria et reipublicae utilitate regi, sed partium commodis singulorum facta metiri.

Porro cum sciamus inde a primo tempore, quo Tiberius rebus publicis interesse coepisset, omnium oculos in eum conversos fuisse summamque de eo populum spem et exspectationem concepisse eumque, ubi primum vetera illa reipublicae damna sanaturus videretur, acclamatione et approbatione omnibusque stimulis excitasse atque ad ea exsequenda quae sibi proposuisset impulisse, non mirabimur Tiberium summa verae laudis cupiditate accensum in consilio suo, quod et singulis et toti reipublicae salutarissi-

mum existimaret, ita esse confirmatum, ut nullis ne gravissimis quidem difficultatibus et periculis ab incepto deterreretur, nedum vanis optimatium rationibus in sola fere avaritia et obstinatione positis. Rectissime igitur Appian. de bell. civil. I, 11 Tiberium dicit utilitate legis suae sublatum, quippe quae rem spectaret gravissimam totique Italiae saluberrimam, difficultates inde natas ne animadvertisse quidem.

Postquam autem de rationibus quibus Tiberius ad ferendam hanc legem adductus sit tractavimus, altera oritur quaestio de legis iure et utilitate, aequitate et prudentia. Hanc quaestionem et antiquiore et recentiore aetate a variis varie tractatam esse, ex natura rei perspicuum est. Hoc loco quominus copiose eam persequamur, nimis angustis quibus haec commentatio circumscripta est terminis prohibemur. Optime disseruerunt de ea Heeren „Die Staatsunruhen der Gracchen“ 66 sqq.; Peter „Die Epochen der Verfassungsgeschichte der römischen Republik“ 144; Goettling „Geschichte der römischen Staatsverfassung“ 432; Rudorff „Das Ackergesetz des Spurius Thorius“ p. 25; vide etiam quae Niebuhr et Mommsen de ea exposuerunt.

Permulta pro lege, multa contra legem disputari possunt. Inquirendum igitur est, utrum commoda ex lege orta maiora fuerint et ad maiorem hominum numerum pertinuerint, quam difficultates et acerbitates, quas permagnas in ea infuisse negare non possumus. Jam supra demonstravimus, qualis tum fuerit Italiae status, quantopere senatus a maiorum gravitate delapsus. Superioribus quidem temporibus civitas Romana ab optimis regebatur, qui quum totam patriam, non factionis utilitatem respicerent imperium ex summis periculis virtute et constantia vere Romana ad tantum opum fastigium provexerant. Tum autem omnibus hostibus devictis, imperii finibus usque ad ultimas terras prolatis, ingentibus divitiis in urbem congestis etiam peregrini mores et peregrina vitia Romam irruere coeperunt; prisca illa simplicitas et frugalitas a paucissimis retinebatur; plurimi opibus et divitiis corrupti effussissimae se luxuriae dabant nihil iam curantes nisi ut libidines explerent. Tanta morum corruptione iam Tiberii temporibus civitatem Romanam infectam fuisse, ex foeditate belli Jugurthini, quod paulo post exortum est, dilucidissime apparet. In eo autem tempore exstitit, qui patriae miseriis vehementissime commotus et honestissimo studio accensus civitatem iamiam ad interitum ruentem erigendi et corroborandi, ad conservandum totum reipublicae corpus a divitibus ut patriae de suis aliquid condonarent postularet.

Non potest quidem negari magnam multis acerbitatem et iniquitatem in lege Sempronia infuisse; etenim cum lex Licinia de agri publici modo inde ab omni fere initio neglecta et paulatim plane esset abolita, ager publicus eodem fere iure contineri coeptus est quo privatus. Quae inde incommoda orta sint, apertissime cognoscimus ex Appiani de bell. civil. libr. 1, 7. Has difficultates si omnino neglexisset Tiberius, merito eum immoderationis et iniquitatis accusaremus. At notum est Tiberium, ut parceret singulorum commodis, non veterem illam legem Liciniam renovasse, sed variis additamentis faciliorem eam et acceptiorem reddidisse. Deinde ne hoc quidem omittendum est valde

verisimile fuisse Tiberium, qua fuit modestia et humanitate, si adversarii vel nonnihil de suis decessissent neque immani obstinatione omnibus Tiberii conditionibus restitisent, per conventionem rem cum optimatibus compositurum fuisse. Cum autem superbe ab optimatibus omnia sua vel benevolentissima consilia respui cerneret, tum demum, quippe cui exploratum esset legem suam nihil aliud spectare nisi totius reipublicae salutem, ipsa fere rerum necessitate coactus ad facta abstractus est violentiora et ipsi et civitati infestissima.

Quae quum ita se habeant, merito aliquis interrogaverit, quomodo tandem factum sit, ut omnium fere veterum scriptorum consensu non dico quae posteriore tempore admisit Tiberius — haec enim quum violatis legibus facta sint probari possunt nullo modo — sed ipsa lex agraria ut reipublicae exitiosa improbaretur. Primum non est praetermittendum Tiberium lege agraria sua quasi signum discordiarum et turbarum publicarum dedisse, quibus partium studia ita excitata et ad certamina tam atrocia inflammata sunt, ut respublica vehementissime commota paulatim ad interitum vergeret. Homines autem cupiditatibus accensos raro iudicii integritatem retinere sed ad auctorem rerum omnia quae inde etiam illo invito nata sint mala referre, ex rerum memoria satis cognitum est. Itaque non est mirandum veteres, quum calamitates ex Tiberii lege et ex iis ortas quae legem secuta sint solas respicerent, ad legem agrariam quasi ad originem et fontem earum regressos eam consensu improbasse. Praeter notos Ciceronis locos, quem legem Tiberii damnasse constat, vide Vellei. Paterc. II, 2, ubi haec legimus: Tiberius promulgatis agrariis legibus, omnium statum concutientibus, summa ima miscuit et in praeruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam; idem postquam caedem Tiberii narravit haec addit verba II, 3: Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit: inde ius vi obrutum potentiorque habitus prior discordiaeque civium antea condicionibus sanari solitae ferro diiudicatae bellaque non causis inita sed prout eorum merces fuit. Quod haud mirum est: non enim consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt et ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum. Haec verba Velleii recte se habere et ea, quae ex facto aliquo profecta sunt, non semper eadem esse quam quae auctor sibi proposuerat, quis neget? Quam saepe autem homines eventum rei et rationem consiliumque auctoris commutant! Idem quum Tiberio acciderit, facile intelligitur cur tantus sit facta eius improbantium numerus. Maximi momenti Taciti et Sallusti iudicia esse constat. Dolet autem non copiosius hos viros exposuisse, quid ipsorum sententia de Gracchis eorumque legibus statuendum sit; nihilominus autem ex singulis et brevibus locis hoc quidem exploratum est, ne hos quidem probasse eorum facta; vide Tacit. dial. de orat. 40: non tanti reipublicae Gracchorum fuit eloquentia, ut pateretur et leges; haec verba etsi non ipsius sunt Taciti, sed dialogi personam ea facit dicentem, tamen ipsius Taciti iudicium inde cognosci posse existimo. In Annal. autem

III, 27 Gracchi cum Saturnino confunduntur et turbatores plebis dicuntur; vide etiam quae Nipperdey ad hunc locum adnotat. Ipse Sallustius, quem optimatium parti minime favisse sed quanta eorum depravatio fuerit clarissime depinxisse constat, postquam Gracchorum studia et optimatium repugnantiam exposuit, de bell. Jugurth. 42 ita pergit: Et sane Gracchis cupidine victoriae haud satis moderatus animus fuit. Sed bono vinci satius est, quam malo more iniuriam vincere. Hunc locum varie explicari scio; sine dubio autem verba: bono vinci satius est ad Gracchos referenda sunt, qui malo more iniuriam vicisse propterea dicuntur, quod leges suas violatis legibus perferre studuerunt. Hoc Sallusti de Gracchis iudicium iustissimum est; neque quemquam scio veterum, qui tam brevibus verbis tam recte de iis iudicaverit. Consentiunt autem cum his verbis ea quae antecedunt, quibus exponit scriptor, Gracchos vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepisse, nobilitatem autem noxiam atque eo perculsam vario modo his Gracchorum actionibus obviam ivisse et pollicendo ac dividendo partem popularem oppressisse. Maximi momenti ad Gracchorum studia recte aestimanda haec sunt Sallusti verba, quae quin ad Gracchos referenda sint dubium esse non potest, de bell. Jugurth. 41: Ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas et dissensio civilis, quasi permixtio terrae, oriri coepit. Non latet me Sallustium his verbis non de ipsa lege agraria dixisse, sed de universis Gracchorum actionibus; hoc autem apparet ex eius verbis, minime improbasse eum studia et consilia Gracchorum, sola ratione qua in exsequendis iis usi sunt male contentum.

Livius epit. 58 de legis agrariae utilitate vel periculo nihil aliud dicit nisi Tiberium eam adversus voluntatem senatus et equestris ordinis tulisse, sed ita pergit: exarsit (hac lege) in eum furorem, ut M. Octavio collegae causam diversae partis defendenti potestatem lege lata abrogaret.

Ex Valerio Maximo hi apponendi loci sunt: I, 4: Male tribunatu gesto occisus est a Scipione Nasica; IV, 7, 1: Inimicus patriae fuisse Ti. Gracchus existimatus est, nec immerito, quia potentiam suam saluti eius praetulerat; V, 3, 2: Nasica pestifera Ti. Gracchi manu faucibus oppressam rem publicam strangulari passus non est; VI, 3, 1: Gracchi statum civitatis conati erant convellere. VII, 2, 6 sapientiam praedicat senatus, qui Ti. Gracchum trib. pl. agrariam legem promulgare ausum morte multavit et gravissimae seditionis eodem tempore et auctorem et causam sustulit.

Quintilianus de instit. orat. III, 7 haec dicit: parentes malorum odimus. Itaque invisae sunt Gracchorum leges: et si quod est exemplum deforme posteris traditum. Vel Juvenalis satir. II, 24 consensum veterum Gracchi leges improbantium testatur:

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Mirum est quod vel Caesar de bell. civil. I, 7, 5, postquam de perniciosis legibus, de vi tribunicia, de templis locisque editioribus occupatis dixit, quae omnia Gracchos spectare

nemo non videt, haec superioris aetatis exempla expiata esse pergit Saturnini atque Gracchorum casibus.

Haec vel eos homines, qui causae populari faverent, de Gracchis eorumque legibus iudicare ita demum potest intelligi, si reputaverimus sola mala ex legibus illis profecta iis ante oculos versata esse; cum autem leges malorum causa essent, ipsas leges improbaverunt. Atqui valde verisimile est Gracchorum legibus non latis alia mala eruptura fuisse, quae fortasse non minus violenter rem publicam perturbassent. Deinde ne hoc quidem potest negari Tiberii et Gai Gracchorum consilia et rationes in rebus publicis gerendis vel maxime inter se differre; Gaius enim nihil aliud spectabat nisi ut optimates, quam factionem rei publicae exitiosam putabat, a civitate gubernanda plane removeret. Nihilo minus autem solent veteres Gracchorum actiones publicas plerumque confundere, quasi utrique idem fuisset propositum. Ipse Tiberius postea, cum optimates nihil de suis decedere et optimis consiliis suis tenacissima obstinatione resistere vidisset, ira et exacerbatione ad facta et leges minus probandas abreptus est. Volui igitur demonstrare, quum legem agrariam a ceteris Tiberii factis non ut par fuit veteres distinguerent, vituperationem, quae recte in haec intenderetur, etiam ad illam recidisse. Itaque hoc loco attulimus, quae a veteribus communiter de Gracchis eorumque studiis iudicantur, quasi iam Tib. Gracchi lex ad aequationem bonorum pertinuisset, qua quidem peste nulla potest maior esse. Ager publicus enim cum diuturnitate possessionis a privato secerni non posset, qui agrum publicum dividendum esse tulit res et bona singulorum pervertere visus est. In primis autem, inquit Cicero de offic. II. 21, 73, ei videndum erit, qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat neque de bonis privatorum publice deminutio fiat.

Contra Tiberius, cuius animo summa multitudinis inopia obversabatur et metus ut respublica nisi rebus afflictis medelam adhiberet diutius stare posset, in consiliis suis magis etiam confirmatus est summorum virorum auctoritate legem suam probantium, eumque ut in proposito perseveraret adhortantium, Appii Claudii soceri sui, P. Crassi Muciani qui iuris intelligentia praestitit, P. Mucii Scaevolae iuris peritissimi. Qui optimi et sapientissimi viri — vide Cicer. acad. prior. II, 5, 13 — cum Tiberii legem probarent, quorum iudicium de iure et utilitate legis iustissimum et locupletissimum fuit, optimates vero pro sua utilitate suisque commodis summa cum obstinatione propugnarent, fieri non potuit, quin otium in optima republica, ut ait Cicero in acad. prior. libr. II, 5, 15, perturbaretur. Optimates si vel minimum cessissent et nonnihil Tiberio indulsissent, non dubito quin Tiberius, qua fuit aequitate et benevolentia, iustis eorum querelis aurem praebiturus et quamquam maximis impedita fuit difficultatibus agrorum divisio, rem per pacem et concordiam compositurus fuerit.

Utut autem res fuit, quae adhuc de Tiberio persecuti sumus, non possunt non probari et laudari. Sed inde res aliter cessit atque ipse sibi Tiberius initio proposuerat.

Optimates igitur nitebantur in Tiberii legem, aut quia nemo fere de suis quidquam amittere vult, aut quod suis tantum commodis providentes multitudinis res desperatas

nihil curabant et totius reipublicae salutem pro nihilo habebant, aut nitebantur, ut ait Cicero pro Sest. 48, 103 contra gratam Ti. Gracchi legem, qua fortunae constitui tenuiorum videbantur, propterea quod et discordiam excitari videbant et, quum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari rempublicam propugnatoribus arbitrabantur. Omnes fere autem senatores et equites quum lege agraria de suis amitterent, non est mirum tantum inde tumultum ortum esse. Inde vero ipsam legem exitiosam fuisse, suaque natura rempublicam concussisse minime potest coniici. Poterat enim contra optimatium clamores optimo iure contendi, singulos, ut totum conservaretur, nonnihil de suis decedere necesse esse. Sane hoc non aliter nisi ultima cogente necessitate fieri debet. Hanc autem venisse semper qui de suis amissuri sunt negabunt.

Quae quum ita sint, recte aliquis interrogaverit, qui factum sit, ut Tiberius, quem ex optimis consiliis profectum esse scimus, nihilo minus totam rempublicam perturbaret et labefactaret. Hoc autem ex iis, quae iam persequemur, patebit. Rempublicam Romanam patribus et equitibus nixam fuisse, si posterioris temporis turbas et contentiones spectaverimus, negari non potest. Qui quales fuerint et quibus rebus ab hominibus popularibus diversi, cognosci potest ex Cicer. orat. pro Sest. 49, 105. Sed has laudes, quas Cicero optimatibus tribuit, si cum factis plurimorum Romanorum illius temporis, qui quidem in rebus publicis versati sunt, comparaveris, mirum reperies discrimen inter dicta et facta. Quod quomodo explicari potest? Senatus Romanus illius temporis repraesentabat quidem superioris temporis dignitatem et gravitatem, eandem animi magnitudinem prae se ferebat vel simulabat potius, qua imperium Romanum auctum et confirmatum erat, sed ipsae virtutes e medio sublatae erant. Avaritia, quod vitium ne ab optimis quidem viris iisque vere Romanis alienum fuisse constat, tum per totum fere optimatium ordinem grassabatur; deinde cum etiam libidines, a quibus priscorum hominum simplicitas vel maxime abhorruerat, opibus auctis plurimorum animos occupassent, reipublicae fundamentum, etsi firmissimum et solidissimum esse videbatur, putre erat factum et caducum. Fundamento autem confecto totam rempublicam corruere necesse fuit; plebem enim summa inopia pressam rempublicam sustentare non potuisse apparet. Medius autem ordo inter optimates divitiis et luxuria perditos et inopem multitudinem rerum inopia ad pessima quaeque paratam illo tempore deerat. Hic ordo ut ad sustinendam rempublicam restitueretur, ipsa Tiberii lege ex longo tempore primum spectatum est. Quod quum Tiberio non contingeret, nihilo minus autem optimates Tiberii et Gaii maxime legibus permultum de auctoritate et gravitate sua amisissent, et plebs ad meliores spes excitata et a pravis tribunis in concionibus omni modo corrupta et perdita rempublicam ne minimum quidem curaret, respublica omnibus fundamentis privata ad interitum se inclinavit. Pessima enim et perniciosissima ea reipublicae forma est in qua ex ipsis nobilibus factio orta est, quae ceteris reipublicae partibus neglectis totam rempublicam suae plane potestatis faciat. Eam civitatem et foeda morum corruptione et

omnium virium defectione perire necesse est. Tiberius igitur cum intelligeret optimates ad factionem relapsos esse, quae non reipublicae sed sua commoda spectaret, huius exitiosae factionis opes infringere et restituto locupletiorum civium ordine reipublicae mederi studebat. Quod quominus perficeret tum sua ipsius vehementia et immoderatione, tum optimatium maxime iniquitate et obstinatione impeditus est. Sic autem factum est, ut quum Tiberio non contingeret, ut novum ordinem pararet, qui esset fundamentum reipublicae, optimatium autem auctoritas detectis eorum avaritia omnibusque malis artibus nihilominus frangeretur, etsi ex certaminibus primo tempore victores discesserunt, Tiberius, a quo tantae seditiones ortae sunt, magnorum incommodorum reipublicae auctor diceretur, discrimine inter res ipsas rerumque causas omisso. Hoc unum videtur in Tiberio vituperandum esse, quod quum intelligeret adversariorum vehementia et avaritia se impediri, quominus legitima via quasi renovaret rempublicam, non plane ab incepto destitit sed iam per vim et iniuriam optima sua consilia persequi conatus est. Multi viri gravissimi et sapientissimi, qui iam diutius in rebus gerendis versati erant, propterea initio consilio et auctoritate sua Tiberii legem adiuverant, quod non minus intelligebant rempublicam, nisi aliquo modo reficeretur, iamiam ad exitum vergere. Quod qui perficerent in ambiguo erant. Itaque cum partium studia et libidines, cum plebis infirmitatem et inconstantiam bene novissent, nolebant rem aggredi periculosissimam, in qua maxime erat dubium, nonne totum corpus periret, si quis medelam adhibere vellet membris aegris. Desperantes igitur rem se esse exsecuturos saluberrimam, ne mala excitarent commodis maiora ab ea absistebant. Has autem difficultates Tiberius, qua erat animi benevolentia et misericordia, qua laudis cupiditate, quo iuventutis ardore, ne animadvertit quidem. Inde ut Tiberii peritia et prudentia in rebus publicis minus apparet, ita ceterae eius virtutes eo clarius illucescunt. Quo quis enim maiore cupiditate aliis auxilium ferendi accensus est, quo magis ei persuasum est rem se spectare utilissimam, eo minus vel gravissimis impedimentis ab ea deterretur. Quodsi Tiberius non tanto studio flagrasset, Italiae vulnera sanandi reipublicae exitiosa futura, omisisset sane rem sibi perniciem discordiam reipublicae allaturam.

Promulgata igitur hac lege optimatium metus et ira vehementissime exarserunt. Tiberius autem tantopere valebat dicendi vi, ut legem suam defenderet splendidissime. Qui enim vel minus iustam et honestam causam satis speciose tractare posset, is in causa honestissima omnibus dicendi luminibus usus, legis commoda rhetorice augens, incommoda vel prudenter minuens vel tegens caute longe superior fuit adversariis. Qui quum ipsum Tiberium a lege ferenda retinere non possent, collegam eius adeunt, M. Octavium, ut legem eius intercedendo irritam redderet. Fuit autem Octavius aequalis et familiaris Tiberii, iuvenis gravium morum et moderatus, ut ait Plutarchus.

Venit nunc in quaestionem, intercesseritne Octavius collegae legi, quia eam rempublicam perturbaturam neque inde quidquam salutis et auxilii redundaturum esse existimabat,

an ab optimatibus aliqua ratione conciliatus et adductus. Appianus, cuius narrationi plurimum tribuo, de bell. civil. I, 12 Octavium dicit ad intercedendum ab optimatibus instigatum esse; hoc auget etiam Plutarchus; narrat enim Octavium primo amicitiae qua esset cum Tiberio coniunctus rationem habentem optimatium preces aspernatum esse; cum autem tot et tam graves viri urgerent et instarent, eum verentem auctoritatem eorum precibus satisfecisse. Nullius prorsus momenti ut aliis locis ita in hac quoque re Dionis est auctoritas; is enim tradit Octavium ob aemulationem ex propinquitate generis conflatam Tiberio se opposuisse. Utrumque prava contentione magis ut aemulum superaret, quam ut prodesset reipublicae enisum esse; alterum altero violentius egisse, ut neuter alteri in ulla re cederet. Haec quidem verba a vero plane abhorrere non est quod multis verbis demonstremus.

Veteres ipsos scriptores, quorum plurimi optimatium causae favent, Octavii intercessionem non modo probasse sed summis laudibus extulisse, minime est mirum; vide Vellei. Paterc. II, 2: Octavio collegae pro b o n o p u b l i c o stanti imperium abrogavit. In Liv. ep. 58 nihil legimus nisi Octavium causam diversae partis defendisse. Mommsen hist. Rom. II, 81 ideo Octavium Tiberii legi intercessisse dicit, quod certissime ei persuasum esset eam reipublicae perniciosam fore; unde hoc pro vero contend ipossit nescio.

Intercessit igitur Octavius, quibuscunque causis intercessit. Cum autem lex, etiamsi ceteri tribuni omnes consentiebant, uno intercedente perferri non posset, Tiberius precibus adiit collegam ut ab intercessione desisteret. Hoc loco Plutarchus et Appianus valde inter se differunt. Plutarchus enim tradit Tiberium collegae intercessione exacerbatum humanam illam legem, qua divitum rationibus non mediocriter consuleret, revocasse et aliam acriorem et multitudini gratiorem tulisse. Hac qui agrum publicum contra leges possiderent eo decedere iussi sunt compensatione non accepta. Deinde singulis fere diebus inter utrumque tribunum pro rostris certamina conserta esse, in quibus summo cum studio et aemulatione sibi resisterent, ita tamen, ut conviciis et maledictis semper abstinerent et solam causam spectarent. Longe aliter Appianus rem narrat, cuius quidem ideo mihi praeferenda videtur narratio esse, quia multo clariorem nobis et fortiorem Tiberii praebet imaginem. Prodit autem Appianus Tiberium collegae intercessione a lege ferenda prohibitum quum multa ei exprobrasset rem in proxima comitia distulisse. Comitiorum dies cum venisset, Tiberium satis firmo praesidio munitum, quo Octavium et invitum ad cedendum cogeret, scribam legem recitare iussisse. Cum autem Octavius iterum intercederet et multa sibi invicem congessissent convicia, principes viros discordantibus tribunis suasisse, ut rem ad senatus arbitrium deferrent. Quam conditionem quum Tiberius, qui bonis quidem viris legem suam probatum iri speraret, accepisset, in curiam eos venisse. Ibi quum Tiberius ab optimatibus, qui ne cogitarent quidem vel minimum de suis decedere, superbe et indigne tractatus esset, furore eum exarsisse et ad multitudinem recurrisse comitiis proximis se et legem suam agrariam et

alteram de Octavii abdicatione perlaturum esse minantem. Appianus igitur omnia haec duobus comitiis confecta esse narrat. Plutarchi narratio ut multo copiosior ita minus dilucida est. Hic enim rem variis certaminibus in complures dies distractam esse prodit. Addit Plutarchus Tiberium, quod ipsum Octavium lege agraria magnam rei familiaris partem amissurum esse videbat, ei se pretium eius aequum ex suis rebus quamvis tenuibus redditurum promisisse. Hanc quoque conditionem, ut fas erat, cum respueret Octavius, Tiberium, priusquam de lege sua suffragia lata essent, magistratibus ne pecuniam ex aerario depromerent interdixisse, Saturni templo sigillum imposuisse, ne quid quaestores inde demerent neve eo inferrent; deinde si quis magistratus non obedivisset, poenam in eum constituisse, ut omnes huius metu provinciam sibi delatam omitterent. His autem rebus divites adeo esse perculsos, ut mutatis vestibus supplices in forum irent, Tiberio insidias struerent percussoresque in eum conducerent; quos ut caveret palam Tiberium sica se armasse. Deinde quum divites vario modo Tiberium prohibere conati essent, quo minus multitudinem ad suffragia ferenda mitteret, multitudo autem Tiberium circumfusa ad vim se verteret, in hoc igitur discrimine dicit Plutarchus Mallium et Fulvium, viros consulares, Tiberium orasse et obsecrasse, ut rei arbitrium senatui permitteret. Etiamtum accepisse Tiberium conditionem. Haud parvum hoc moderationis documentum fuit, quippe qui iam antea in senatu turpem adversariorum superbiam et obstinationem expertus esset. Cum autem iterum in senatu, in quo adversarii quum plures essent nihil aequi audire vellent, non modo non audiretur sed indignissime irrideretur et illuderetur, tum demum patientia eius exstincta iram atque furorem occupavisse iuvenem praeclarissimum. Sic igitur factum est, ut quum pro ardentissimo patriae amore optimisque consiliis omnibus indignitatibus afficeretur, a recta via ad consilia violenta praeceps rueret. Quod enim animo agitavit ut collegae, si intercessione legem impedire pergeret, munus abrogaret, non iure sed vi actum est. Hoc autem exemplum summa detrimenta reipublicae attulit. Quid enim tribunus plebis a plebe in concionibus circumfusa non potuit impetrare? Inde igitur ab illo tempore concionum temeritas quidquid sibi in buccam venisset aut decernentium aut abrogantium perturbavit rempublicam ita, ut diutius stare non posset. Gracchus autem quasi signum dedit harum turbulentarum concionum etsi nolens; vide Aurel. Vict. de vir. illustr. 64: Octavio collega intercedente novo exemplo magistratum abrogavit; Flor. III, 14: Ubi intercedentem legibus suis Cnaeum Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, ius potestatis, iniecta manu, depulit rostris, adeoque praesenti metu mortis deterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur. Tiberius igitur, quod adversariorum iniquitate per leges perficere nequiverat, iam per vim et neglectis reipublicae legibus exsequi paravit. Quidquid enim et ipse Tiberius et postea eius laudatores ad defendendum hoc factum dixerunt, nihil valet. Jam legibus semel violatis quae postea rerum necessitate coactus fecit, quam recte vel ad optimos homines Dionis verba referri possint, clarissime

ostendunt: si quis semel a recto tramite deflexerit, eum praeter voluntatem adeo in pessima quaeque praecipitem ruere. Omnes autem consentiunt veteres scriptores in eo, hanc muneris abdicationem ipsi Tiberio exitiosam factam esse; vide Cicer. de legg. III, 10, 24: Nihil aliud Tiberium perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogavit. Etiam Plutarchus, qui summa incensus Tiberii admiratione omnia fere eius facta laudat et probat, hanc Octavii abdicationem neque legitimam dicit fuisse neque humanam.

Tiberius enim, cum omnibus precibus collegam ab intercessione prohibere frustra studuisset, fieri non posse dixit, ut ambo, qui de summis rebus dissiderent, in magistratu permanerent; alterutri cedendum esse. Hortatus igitur Octavium est, ut de se (Tiberio) multitudinem prius in suffragia mitteret; quod quum renuisset Octavius, ipsum se de collega tribus in suffragia missurum esse dixit. Neque vero eodem die rem confecit; sed his dictis comitia dimisit; proximis autem comitiis quum rursus collegae animum flectere frustra conatus esset, legem tulit, ut Octavio munus abrogaretur. Quum autem ex triginta quinque tribubus iam septendecim legem iussissent, antequam res duodevicesimae tribus suffragio conficeretur, ultimum ad Octavium conversus ut tandem desisteret ab intercedendo obsecravit. Quibus precibus cum ille non mediocriter commotus esset, ita ut vel lacrimae ei oborirentur, adspectu optimatium, qui circumstarent, adeo pudore et reverentia esse affectum, ut omnibus periculis se obiiceret. Itaque Octavio suffragiis munus abrogatum est; multitudo autem in eum per servos a rostris detractum tanto furore invasit, ut vix optimatium concursu et servi fide, qui pro domino consistens vel oculo privatus est, servaretur. Non est quod memoremus hoc invito Tiberio factum esse. Ab hac Plutarchi narratione Appianus in multis et iis gravibus rebus valde abhorret. Tradit enim Tiberium, cum a senatu, ad cuius arbitrium legem reiecisset, non auditus, sed illusus esset, statim ad multitudinem recurrisse eamque se proximis comitiis et de lege agraria et de abdicatione Octavii in suffragia missurum esse dixisse. De iis omnibus fere, quae in comitiis, quibus Octavio munus abrogatum est, facta sunt, Plutarchus et Appianus inter se consentiunt, nisi quod Appianus Octavium, quum privatus esset factus, clam elapsum esse tradit. In locum autem Octavii Quinto Mummio suffecto legem agrariam perlatam esse.

Ad agrum publicum discernendum et dividendum triumviri creati sunt ipse Tiberius, eiusque socer Appius Claudius, et Gaius frater, qui tum Romae non aderat sed Scipione duce bello Numantino interfuit. Hoc propterea a plebe factum est, quod metuit, ne, si ipsi legis auctores ad exsequendam eam creati essent, optimatium artibus illuderetur. Perlata demum hac lege et triumviris creatis tribunum in locum Octavii substitutum esse Mucium quendam, hominem ignobilem et Tiberii clientem, tradit Plutarchus; Orosius contra Minucio ei nomen fuisse dicit V, 8. Appiani narratio verisimilior est, qui in Octavii a tribunatu remoti locum statim Quintum Mum-

mium suffectum esse dicit. Optimatium autem ira et exacerbatio, quae iam perlata lege agraria et Octavio munere remoto vehementissime exarserant, mirum quantum creverunt triumviris creatis, a quibus, cum omnes legis auctores vel suasores essent, nihil indulgentiae, nihil moderationis exspectari posset. Minime autem mirum est, et plebem in solis his viris fidem posuisse, quos ad exsequendam legem aptos et paratos crederet, et optimatium in Tiberium odium et inimicitiam eo magis aucta esse, quod iam princeps quasi adversariae partis eiusque victricis prodiit; vide Appian. de bell. civil. I, 13. Sed de actionibus Tiberii, quae iam sequuntur, quum modum huic commentationi concessum transgressi finem facere cogamur, fortasse alia oblata occasione disseremus.

Jahresbericht

von der

Königlichen Studienanstalt

zu

Erlangen,

bekannt gemacht

bei der öffentlichen Preisvertheilung

den 7. August 1863.

Vorausgeschickt ist:

De Tiberio et Gaio Gracchis commentationis particula II.

von

J. Soergel,
K. Studienlehrer.

Erlangen,
Druck der Universitäts-Buchdruckerei von Junge & Sohn

In commentationis nostrae de Gracchis particula I. anno 1860 scripta Tiberii vitam usque ad abdicationem Octavii tribuni plebis et perlatam legem agrariam persecuti sumus. Demonstravimus ultima eius parte optimatium iram et exacerbationem iam antea acerrimam creatis ad dividendum agrum ipsis legis auctoribus vel suasoribus vehementissime auctam esse. Hi autem triumviri cum non, ut antea fieri solebat, munus suum sustinerent, dum mandata sua confecissent, sed in singulos tantum annos crearentur, — vid. Appian. de bell. civil. I, 9 — minime spes erat fore ut difficultatibus optimatium repugnantia ortis defatigati ab incepto desisterent et rem paullatim omitterent. Deinde alia caussa accessit, quare optimatium animi in dies magis offenderentur, quod Tiberius lege caverat, ne ager divisus venderetur, et quibus additamentis initio legem nobilibus acceptiorem reddere voluerat, ea illiberali eorum obstinatione lacessitus sustulerat. Multis magnam iniquitatem in hac lege infuisse, iam antea demonstravimus; has iam optimates omni modo extulisse, apud Appian. legimus I, 10. Iisdem autem triumviris, qui agrum dividerent, quum arbitrium permissum esset decernendi, qui ager publicus, qui privatus esset, controversiam in tota lege sitam in dividendis singulis agris denuo exortam esse apparet.

Optimates igitur odium suum adversus Tiberium omnibus rebus expleverunt eumque omni ratione vexaverunt, cum ei Nasica maxime auctore tabernaculum et supellectilem, quae triumviris ad agros assignandos tribui solebant, et quaecunque ad munus exsequendum opus erant denegarent. Optimates tam humiliter se gessisse non mirabimur reputantes, quam corrupta et abiecta iam illo tempore fuerit nobilitas; vid. Sallust. de bell. Jugurth. 41. Omnium maxime autem Scipionem Nasicam Tiberium odisse et insecutum esse, ex Plutarchi vita Tiber. 13 cognoscimus, qui eum lege agraria permagnum agrum amisisse tradit. Quae Plutarchi verba si vera sunt, — neque est omnino quod dubitemus quin sint vera — dilucidissime inde apparet, cur ipse potissimum pro republica tam fortiter et constanter propugnaverit et quid de effusis eius laudibus statuendum sit. Cicero enim optimatium partes secutus, quum non rerum veritatem sed sola partium commoda spectaret, in laudibus illius omnem modum excessit. Sed postea accuratius de Scipione Nasica et de auctoritate testimonii in Ciceronis verbis siti disseremus. —

Distracta iam in duas partes republica, quae antea sola optimatium auctoritate nixa erat, utraque pars pertinaci adversariorum repugnantia ad maiorem in dies furorem et exacerbationem provecta est, ita ut vel gravissima sibi ingererent convicia. Veteres autem quum dissensionem solam, non veros eius auctores respicerent, hoc insanabile reipublicae malum lamentati iniuria Tiberium damnaverunt, qui morbo gravi utique erupturo vero patriae amore ductus aptis remediis mederi volebat, priusquam totum reipublicae corpus inficeretur et corrumperetur, adversariorum autem exsecrabili avaritia in violenta facta iisque in exitium praeceps latus est. Qualia autem sibi invicem ingesserint convicia, ex Plutarcho intelligimus, qui prodit, quum amicus quidam Tiberii subito exstinctus esset et suspiciosa indicia in corpore eius apparerent, totam plebem hominem veneno sublatum esse conclamantem ad funus confluxisse. His rebus vel motum vel usum Tiberium multitudinem magis etiam excitavisse vestemque mutasse et liberos — apud alios scriptores unus Tiberii puer memoratur; verisimile autem est, ei iam plures liberos, in his puerum, natos esse; vid. Asell. apud Gell. 2, 13 — ad commovendam misericordiam produxisse plebemque quasi ipse iam de se desperasset orasse, ut his et matri suae consuleret. Quae si ita se habent, Tiberii animus brevi tempore mirum in modum mutatus est, quem apud Appian. legimus perlata lege, qua summam Italiae salutem restituisse sibique immortalem gloriam peperisse visus est, magnum spiritum sumpsisse et adversariorum clade valde gavisum esse, multitudinis autem amore et gratia adeo auctum, ut eum non unius vel urbis vel populi, sed omnium in Italia populorum conditorem consalutantes domum prosequerentur.

Quo magis autem plebis studia, quae summam Tiberii benevolentiam haud ignoraret et nova in posterum ab eo exspectaret commoda, in eum accensa sunt, eo vehementius optimatium animi, qui sola incommoda lege sibi illata, non salutare legislatoris consilium spectarent, in eum irritati et ad infestissimam inimicitiam provecti sunt. Itaque quum lege perlata agricolae inopes, qui ad perferendam legem rure in urbem confluxerant, discurrissent et Tiberii partes, quae plebe rustica maxime nixae erant, valde imminutae essent, adversarii Tiberium iam minis petierunt, quod magistratum sacrosanctum violasset et tot motuum tantarumque turbarum quasi facem Italiae iniecisset. Sic ipsa autem rerum necessitate Tiberius coactus est, cum adversarios saluti et incolumitati suae insidiari videret, nova sibi parare praesidia et inimicorum opes quam maxime infringere.

Forte autem illo tempore acciderat, ut Attalus, Pergami rex, Eumenis filius, qui anno Urbis 621 decesserat, populum Romanum heredem relinqueret. Qua occasione Tiberium usum, quum ager publicus ad explendos plebis animos, quam ille ad immoderatissimam spem excitasset, non sufficeret, etiam hereditatem Pergamenam totam in plebis usum convertere studuisse tradunt scriptores; vid. Liv. 58: deinde cum minus agri esset quam quod dividi posset sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplum modum sperandi incitaverat, legem se promulgaturum ostendit, ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quae regis Attali fuisset divideretur; heredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius; vid. Aurel. de vir. illustr. 64; Orosius V, 8 Gracchum, gratiam populi pretio adpetentem, legem tulisse prodit, uti pecunia, quae fuisset Attali, populo divideretur. Accuratius Plutarchus in vita Tiberii cap. 14 rem nobis tradit; hic autem narrat, Tiberium testamento Attali Romam allato statim rogationem ad plebem tulisse, ut regis pecunia iis divideretur civibus, quibus ager obtigisset, ad apparatum rusticum et instrumenta comparanda. De urbibus autem, quae regni Attali essent, non senatui esse decernendum, sed ipsum se plebi sententiam suam de iis propositurum esse. His addidit hanc rogationem, ut vectigalia Asiae provinciae Romae a censoribus locarentur, qua quidem rogatione ipsi provinciae salutarissima censorum iura temporis decursu minuta rursus aucta, senatorum valde minuta sunt; vid. Cicer. Verr. 3, 6; Nitzsch. p. 219 et seqq.

His ipsis rogationibus senatum graviter offensum esse, mirum non est; hac enim lege, etsi et ipsam ex optimo Tiberii consilio profectam esse credo, totam administrandae reipublicae rationem sustulit et sic ipsam rempublicam labefactavit. Quidquid enim in republica administrandum erat, inde ab omni reipublicae liberae memoria senatus administraverat; res populi Romani aliarumque civitatum constituere ne consulum quidem fuerat, sed semper senatus; iam autem cum tribunus plebis concionibus hoc ius vindicaret, totum civitatis statum convellit et senatus iura vehementissime violavit; vid. Cicer. de harusp. respons. 19, 41.

Quomodo autem fieri potuit, ut Tiberius, quem optimum et benevolentissimum et moderatissimum iuvenem fuisse et ab omni initio nihil aliud egisse scimus, nisi ut sublevando plebis miseriam ipsam patriam sustentaret, ut talis vir ad talia consilia, quae violenta et contra usum legesque reipublicae fuisse negare non possumus, abriperetur? Rem Tiberius aggressus erat difficillimam; a qua quum absistere neque vellet neque posset, adversariorum obstinatione, suorum periculorum metu, patriae amore, rapida denique rerum necessitate vel invitus actus est. Appianus quidem hanc Tiberii rogationem praeterit; sed cum singulas res breviter perstringat et gravissima tantum copiosius exponat, in tanto ceterorum scriptorum consensu res dubia esse non potest. Quantopere autem his rebus optimatium animi Tiberio iam antea infestissimi offensi et exacerbati sint, ex conviciis cognoscimus et suspicionibus, quibus ab iis petitus est. Legimus enim apud Plutarchum 14 iam illo tempore ab optimatibus rumorem sparsum esse, Tiberium regnum affectare, quippe qui haud ignorarent, apud plebem libertatis valde aemulam et, ut fieri solet, suspicionum veritatem non satis curantem nihil magis valere, quam eiusmodi crimen. Alia res nobis multo clarius demonstrat, quantopere iam Tiberii conditio mutata et infirmata fuerit. Jam enim viri principes, qui antea legem agrariam eius quantum poterant auctoritate sua adiuverant et comprobaverant eam salutarissimam fore reipublicae rati, si quidem legitime esset perlata, a violenta Tiberii ratione alieni eum acerrima vituperatione persecuti sunt. Sic Quintus Metellus, quem supra in eorum

virorum numero fuisse demonstravimus, qui Tiberium ad legem ferendam adhortarentur, ei obiecit, quod quum patre eius censore a coena domum redeunte cives lumina exstinxissent metu, ne nimis liberi et effusi in conviviis ei viderentur, ad ipsum audacissimus quisque et egentissimus noctu adveniret. Neque est, quod Metellum rem invidiose auxisse credamus. Tiberius idem expertus est, quod nemo potest effugere, qui causam vel optimam per vim agere coepit. Venit mihi hoc loco in mentem dicti cuiusdam Niebuhrii, viri singularis, qui in historia Romana alicubi narrat audivisse se ex ore Itali cuiusdam, qui rerum publicarum conversioni interfuisset, hoc dictum: initio quidem rerum novandarum optimum quemque congregari; quum autem res turbari coeptae essent, bonos illos viros non sine horrore videre sibi perditissimum et sceleratissimum quemque coniunctum esse. Sic ne Tiberius quidem prohibere potuit, quin homines audacissimi et ad omnia scelera paratissimi ad suam factionem accederent. Partibus autem ex talibus sociis compositis quicunque semel coepit praeesse, ipsa rerum natura via praecipiti ad consilia agitur, a quibus initio abhorruerat; itaque fit, ut si ipse salvus esse vult leges violare cogatur. Quod si reputaverimus, facile intelligemus, quomodo acciderit, ut vel optimi viri, qui initio consilia eius comprobaverunt, paullatim ab eo alienati senatus partes sequerentur. Videbant enim fieri non posse quin Tiberius, quum semel a vera legum via deflexisset, factionis cui praeesset impulsu ad periculosiora in dies consilia etsi invitus detruderetur, unde graviora reipublicae damna orirentur quam quae eius leges sublaturae essent. Tot autem tantisque difficultatibus implicitus etiam ab adversariis iam multo validius et efficacius peti potuit quam antea. Quantopere autem maligna eorum calliditate perturbatus et in quantas angustias adductus sit, ex Plutarchi narratione cognoscimus. Titus quidam Annius, qui viginti annis ante consul fuerat, homo neque humanus neque moderatus, qui breviter dictis, quae solis quaestionibus et responsis continerentur, invictus sibi videretur, quaesivit ex Tiberio, nonne collegam suum legibus sacrosanctum violasset. Ille hoc indignatus concione convocata Annium accusare voluit. Hic autem, et eloquentia et auctoritate multo inferior Tiberio, ad artem qua praestitit confugiens eum ut pauca sibi responderet rogavit. Quod quum ei concessisset Tiberius, ille silentio facto: Quid, inquit, si a te vexatus et iniuriis affectus ad unum ex collegis tuis provocarem, et ille mihi auxilium laturus exsurgeret, tune ira commotus etiam hunc magistratu removeres? Brevibus verbis ad eiusmodi quaestionem respondere non est facile; itaque fieri non potuit, quin Tiberius hac quaestione ita perturbaretur, ut aliter ad dicendum paratissimus plane reticeret.

Nullo pacto potest negari, Tiberium Octavii abdicatione magistratum sacrosanctum, tribunatum, violavisse. Quum enim tribuni ad ipsum plebis praesidium creati essent, Tiberius, quaecunque actionem suam defensurus dicebat, etiam popularis partis multos offenderat. Quod quum scirent adversarii eius eumque ab hac potissimum parte optime peti posse bene novissent, hac ipsa actione eius usi sunt ad multitudinis animos contra eum commovendos. Tiberius igitur optimum factu ratus est iusta oratione in concione

rationem suam defendere. Legimus hanc orationem apud Plutarch. c. 15. Jam ex iis, quae supra exposuimus, apparet defensionem eius minime comprobari posse. Nihil enim valet eius dictum, tribunum plebis, si plebem, ad cuius praesidium creatus esset, populique maiestatem tolleret, iam non esse tribunum plebis, quia rem ageret ei plane contrariam, ad quam agendam esset creatus.

Etenim in controversiis publicis quum suam quisque causam superiorem esse velit, eam populo salutarem, adversarii perniciosam esse clamat et summo studio nititur, ut populo de suae causae praestantia persuadeat. Quae Tiberius ad probandam sententiam suam exempla affert, ea nihil prorsus demonstrant; etenim quum Octavius et multi alii contenderent se ideo resistere legi, quod illa reipublicae fundamenta concuti sibi viderentur, et ipsi se causam populi agere dicebant. Si quis igitur in controversiis de summis rebus ortis adversariorum sententias, etsi eas civitati perniciosas esse sibi persuadeat, ita reiicit, ut vel legum rationem non habeat, summum arbitrium rerum dubiarum sibi vindicat et non civis, sed tyranni more agit. Optimatium dicta utrum vera an falsa essent, nihil faciebat momenti; donec ipsi leges non violabant, contra eos ne pro iustissima quidem causa leges violari debebant. Tribunatus propterea institutus erat, ne magistratus in republica esset nullis plane finibus circumscriptus; fines igitur et modum quendam ceteris magistratibus imponebat, ne priorum temporum exemplo regiam exercerent potestatem. Iam autem cum ipse tribunatus hunc modum, quo imperium Romanum ad tantum fastigium provectum erat, tolleret, in posterum effrenata tribunorum licentia concionum clamore quaecunque iis in mentem veniebant perferentium in locum magistratuum successit legibus circumscriptorum et sic optime rempublicam temperantium. Tiberius quum nullo modo neque rogando neque persuadendo neque promittendo adversarios permovere posset, ut legi resistere desinerent, si via legibus praescripta rogationem non posset perferre, minime ad vim et concionum impetum confugere debebat, sed maiorum exempla imitatus exspectare, dum mutata rerum conditione legibus uti sibi liceret. Quam multis certaminibus per tot annos continuatis leges Liciniae perlatae erant! Illo quidem tempore legislatores non taedebat, si patricii ex tribunorum collegio singulos sibi conciliaverant, qui intercessione sua legi perferendae obsisterent, nova exspectare suffragia, quibus tribunorum consensus effici posset. Hoc igitur Tiberius facere debebat, si legibus agere voluit. Illum autem iuvenem optimorum consiliorum sibi conscium, turpi adversariorum libidine accensum nimia occupaverat cupiditas legem perferendi, quae sola perdito paene imperio salutem restitutura esse videretur. Iam quum Tiberius ex adversariorum minis et machinationibus — vid. Oros. 5, 8 — pericula sibi imminere videret ita maxime, quod illi omnibus viribus nitebantur, ut infestissimi Tiberii adversarii proximis comitiis consules crearentur, ad alias confugit res, quibus sibi plebis gratiam et incolumitatem parare studebat, optimatium autem animos etiam magis exacerbavit. Legimus enim apud Plutarchum Tiberium instigantibus amicis ad conciliandum plebis favorem stipendiorum tempus diminuisse et plebi provocationem ab iudicibus ad populum concessisse et

iudicibus, qui tum ex senatoribus eligebantur, parem numerum ex equitibus adiunxisse, omnino omni modo patrum opes infringere studuisse per iram magis et aemulationem quam iustitiae et utilitatis ratione habita. Idem fere et hoc quoque loco magna cum acerbitate et obtrectatione Dio narrat, — fragment. 88 — Tiberium leges quasdam in gratiam plebis quae in militia esset ad populum tulisse et iudicia a senatoribus ad equites transtulisse miscentem et perturbantem omnia constituta, quo securitatem aliquam suis rebus compararet. Postquam autem, pergit Dio narrare, ne sic quidem ulla ratione aliquid perfecit, sed exitus anni instabat ac magistratu deposito statim inimicis obnoxius erat futurus: operam dedit, ut in sequentem quoque annum una cum fratre Gaio tribunus fieret et Appium socerum ad consulatum proveheret nihil non dicere ac polliceri cuiquam recusans: ipse saepenumero sordidatus in concionem processit, matremque simul et liberos pro se intercedentes ad populum produxit. A Corneliae moribus plane alienum fuisse, ut ad commovendam populi misericordiam procederet, non est quod multis verbis moneamus. Multo verisimiliora mihi videntur quae apud Plutarch. 13 et alios scriptores legimus, Tiberium veste mutata etiam puerum suum produxisse populumque orasse, ut et liberis et matri suae consuleret. Omnino quum apud alios scriptores etiam eos, qui Tiberii actiones nullo modo comprobaverunt, de his quas Plutarchus et Dio commemorant legibus nihil legamus, magnopere mihi dubitandum videtur, verene Tiberius eas tulerit. Hoc quidem exploratum est optimates ne de his quidem legibus voluntate Tiberio cessuros fuisse; cum autem de certaminibus inde ortis ne apud eos quidem scriptores legamus, qui has leges eum tulisse scribunt, iam inde pro certo affirmaverim, has quidem leges Tiberium non pertulisse. Deinde autem leges provocationis ab iudicibus ad populum et communicatorum inter senatum et equites iudiciorum tam graves sunt, ut recte nobis suspicari videamur, si vere Tiberius eas tulisset, futurum fuisse ut alii quoque scriptores, Appianus maxime et Cicero, mentionem earum facerent. Dionis narrationem ut aliis ita hoc quoque loco ad invidiam Tiberio conflandam valde auctam esse nemo non videt. Quomodo enim fieri poterat, ut Tiberius Gaium fratrem, qui illo tempore vicesimum annum nondum excesserat, una secum tribunum plebis faceret! Semper est Dionis virtutes imminuere, vitia in maius tollere.

Res sic se habuisse mihi videtur. Tiberii conditio actionibus suis contra leges factis valde in peius mutata erat; itaque adversarios suos metuens et incolumitati suae consulens ad alterum tribunatum petendum accessit. Scimus autem Tiberium inde ab omni initio rempublicam ita confirmare studuisse, ut latifundia, quibus Italia periit, ex paucorum manibus ad complures transirent, ut rustica plebs, quae diuturnis bellis fere tota consumpta erat, quum sola rempublicam sustentare posset, quippe quae robustissimos et fortissimos milites reipublicae praeberet, restitueretur et augeretur. Haec autem plebs, quae tum, quum de lege agraria suffragia ferrentur, in urbem confluxerat et suis maxime suffragiis legem pertulerat, lege perlata rus redierat et quum illo tempore, quo novi tribuni plebis creandi erant, aestas esset, in messibus occupata erat; vid. Flor. III, 14.

Sic igitur factum est, ut Tiberius, nisi adversariis cedere voluit et privatus factus ultima pati, ad plebem urbanam confugere cogeretur. Haec autem plebs lege agraria eius minime erat conciliata; immo factionem optimatium adiuverant, quum laboribus non assueti nihil nisi dona et commoda captarent. Tiberius si omnes superiores leges suas revocasset, optime eos sibi conciliavisset; quum enim homines illos rusticos a deliciis urbanis alienos despicerent, omnes Tiberii actiones, quibus ad plebem urbanam sibi devinciendam plebem rusticam offendisset, haud dubie insanissima acclamatione excepturi fuissent.

Tiberius autem nihil aliud spectabat nisi ut eorum suffragiis tribunatum, tribunatu leges suas sustineret; vid. Nitzschii librum de Gracchis p. 322. Hoc autem nulla alia re perficere potuit nisi ut plebi urbanae quoque varia commoda proponeret, si ipse iterum tribunus plebis creatus esset. Hanc ad rem eas rogationes se laturum esse promisit, quas Plutarchus et Dio eum pertulisse tradunt. Ita autem, quod Tiberius ut iterum crearetur ad plebem rusticam confugit eamque variis pollicitationibus allexit, rem ad ultimum discrimen adduxerat. Haec enim plebs urbana qualis illo tempore fuerit, ex Mommsenii maxime libro cognoscimus, — vid. histor. Rom. part. II p. 87 — qui eam, quo floret dicendi vigore, sic fere adumbrat: Civitas illa Romana, quae cum Latinis et Hernicis Volscorum praedam distribuit, plane aliena fuit ab ea, quae Asiam et Africam provincias constituit. Illa enim civitas erat urbana, quae posset convenire et agere, haec autem respublica in immensum distracta, quam in unum consilium convocare velle, ut de re sibi proposita decerneret, ridiculum erat. Hac enim maxime re laborabant veterum civitates, quod nunquam iis in mentem venit, quum omnes cives per totum imperium dispersi convocari non possent, optimum esse factu, si ab universo numero singuli deligerentur, qui omnium commodis suis suffragiis consulerent. Multitudo autem quae forte confluebat omnibus cupiditatibus agitabatur et perturbabatur, ita ut melior populi pars, quae suo iure suisque sententiis staret, plane opprimeretur; persaepe aliquot milia hominum a magistratibus ex trivio in comitia coactorum nomine totius civitatis gravissimas res decernebant. Quod quum in comitiis centuriatis esset, ad quae nemo admittebatur nisi qui civis esset, quamquam multitudine ad suffragia ferenda confluente difficile erat singulorum iura explorare et impudentes prohibere, in concionibus vero mera hominum colluvies regnabat; horum autem clamores, etsi suffragiis suis leges rogare vel abrogare non possent, quum plurimum valerent, hanc vastam turbam, quae ex vario hominum genere, ex sordidissima plebis Romanae parte, ex Aegyptiis, Iudaeis, aliis nationibus quaestus vel fraudis causa in Urbem confluentibus constitit, sibi conciliare principibus popularis partis magnae curae fuit.

His igitur hominibus perditis Tiberius niti coactus est rebus in dies praecipitior actus. Quae quum ita sint, bonorum virorum etiam ii, qui ultimo tempore a Tiberii partibus steterant, quum sic rebus Romanis salutem afferri non posse viderent, a consiliis eius alienati sunt. Quae iam sequuntur, ea Appianus paullo copiosius tractat, ita ut Plutarchum, a quo nonnihil differt, etiam perspicuitate superet. Plutarchus autem

tradit, Tiberium primo suffragiorum die quum adversarios superiores esse vidisset, — etenim plebs rustica non aderat — maledictis et conviciis consumpto plebem dimisisse in posteram diem frequentem adesse iussam. Deinde eum in forum progressum demisso animo et flentem populum sic commovisse, ut permulti apud domum eius pernoctarent et excubantes pervigilarent, ne ab inimicis impetus in eum fieret eique vis inferretur. Iam quum dies ille suffragiorum advenisset, qui Tiberio ultimus erat futurus, permulta omina interitum eius praedixisse; etenim gallinas cibum attingere noluisse et iam antea eum anguibus, qui in galea eius ova peperissent et exclusissent, perterritum fuisse. Tum autem quum domo exiret ita pede limine eum offensum esse, ut sanguis ex solea emanaret eiusque digitus decuteretur; quum paullo progressus esset, a corvis inter se pugnantibus ita lapidem deiectum esse, ut ad Tiberii pedes delaberetur; vid. Valer. Maxim. IV, 2 et Aurel. vict. 64. His omnibus rebus Tiberium adeo perculsum esse, ut a proposito suo tribunatum iterum petendi desistere videretur, nisi Blossius Cumanus eum confirmasset et admonuisset, fore ut, nisi via quam ingressus esset pergeret, ipsum sibi plebem suspiciosam et invisam redderet; optimates enim hac re usos Tiberium ignaviae et perfidiae accusaturos esse, dicentes eum superbia et arrogantia recessisse vel iam a primo initio eum plebis salutem sibi maximae curae esse simulantem nihil aliud nisi verba fecisse. His demum admonitionibus simulque quod multi amici ex Capitolio ad eum concurrissent eumque confirmassent et universa plebs, ubi eum conspexisset, laetissima conclamatione eum consalutasset, Tiberium ad exsequenda consilia quae sibi proposuisset erectum esse. Ab hac Plutarchi narratione, qui Tiberium etiam ultimo tempore fluctuantem describit et incertum et quid faceret dubium, quae apud Appianum legimus aliquantum differunt. Etiam hic concedit Tiberium initio perturbatum fuisse, quia adversarii exacerbati summis viribus eniterentur, ut infestissimi eius inimici proximis comitiis crearentur, a quibus, si ipse privatus factus esset, summum sibi periculum minaretur. Deinde cum plebs rustica, qua potissimum ut populi quasi robore Tiberius niteretur, ab eo convocata propter messem in Urbem confluere nequiret, tum demum Tiberium comitiorum die magis magisque instante ad plebem urbanam se convertisse eamque suppliciter rogantem ambiisse, ut iterum se facerent tribunum plebis. Sed de his rebus iam supra diximus. Cum autem plebis studia magnopere sibi exarsisse videret, eum confirmatum insequentem diem exspectasse. Comitiorum die Tiberium iam duarum tribuum suffragiis tribunum factum esse, quum optimates hoc contra leges esse clamantes Rubrium tribunum, qui sorte comitiis praeesset, perturbarent. Tum Mummium ipsum, qui in locum abdicati Octavii creatus esset, eum admonuisse, ut sibi locum suum committeret. Cui quum Rubrius satisfaceret, tribunos reliquos intercessisse dicentes comitia, si is recessisset cui sorte obtigissent, denuo sorti subiicienda esse. Tiberium autem, qui suas partes inferiores esse videret, comitia in insequentem diem distulisse et omnibus rebus desperatis vestem mutasse et ad commovendum populum puerum suum produxisse. Haec quae etiam apud alios scriptores legimus ita vero, ut temporis quo haec facta sunt, accuratam

rationem minime habeant, in Appiani narratione optime quadrant. Plebem autem, quae probe sciret Tiberio sublato, qui tot molestias pro suis commodis subiisset, gravissimum sibi ab optimatibus iugum impositum iri, eum vespere cum clamore domum prosecutam esse eumque insequenti die bono animo adesse iussisse.

Sic igitur Tiberium confirmatum socios convocasse et armasse et ad pugnam, si qua in insequentem diem opus esset, praeparasse eamque Capitolii partem occupasse, ubi comitia habenda essent. Cum hac narratione etiam Orosius consentit, qui Tiberium comitiorum die seditiones populi accendisse dicit; vid. Oros. V, 9. Ex Appiani non minus quam ex Plutarchi narratione hoc quidem apparet, Tiberium initio a nulla re magis alienum fuisse quam a vi et armis; etenim non dubitabat, quin iisdem suffragiis iterum tribunus plebis fieret, quibus Octavio tribuno munus abrogatum esset. Cum autem videret adversarios suos extrema audere paratos esse et ipse a via, quam erat ingressus, ut supra vidimus, nullo modo posset recedere, nisi et plebem et optimates simul sibi invisos reddere vellet, ita ut periculum capitis sui non minueretur, immo vel inconstantiae et ignaviae crimen subiret, in hoc tempore et ipse rebus fortiter obsistere et vim vi depellere constituit. Ad hoc ultimum autem consilium Tiberium non sine summa animi fluctuatione progressum esse, eum non consulto et immoto animo res ad extremum perduxisse, ex ipso Tiberii ingenio, cui humanitatem maxime et misericordiam et benevolentiam proprias fuisse scimus, quam evidentissime apparet.

Appiani igitur narratio, praeterquam quod imaginem nobis praebet ultimorum factorum multo clariorem et verisimiliorem et rerum causarumque nexum nobis dilucidissime ante oculos ponit, eo maxime a Plutarchi differt, quod Appianus, qui et ipse superiore comitiorum die Tiberium valde perturbatum abiisse concedit, eum summo plebis applausu confirmatum omnia fecisse tradit, ut si opus esset etiam vi et armis resistere posset, ita ut ratione et consilio in certamen, quod iam diutius evitari non posse videbat, se conferret. Plutarcho contra si fidem habemus, animi defectio, quae iam antea eum occupaverat, comitiis male cedentibus valde aucta est; ominibus vero ultimo die ita perterritus est, ut etiamtum ab incepto desistere vellet, quin etiam quum iam paullulum viae processisset ominibus in ipsa via adeo perculsus est, ut ultimo rerum momento totam rem abiecisset, nisi animus eius a Blossio refectus esset. Quam parum haec Plutarchi narratio, qui Tiberium ut hominem plane temerarium solisque casibus obnoxium discribit, verisimilis sit, quam bene e contrario apud Appianum omnia quadrent, non est quod multis verbis moneamus.

Ipso autem comitiorum die quum et tribuni et optimates intercederent quominus populus de Tiberio in suffragia mitteretur, eum signum certaminis dedisse narrat Appianus. Inde clamore ab iis edito qui Tiberii consiliorum conscii essent ad vim venisse. Gracchanos enim partim ipsum Tiberium ut satellites cinxisse, partim fustibus se lignorumque fragmentis armasse, quibus optimates foro depellerent, tantumque non sine vulneribus tumultum movisse, ut vel tribuni sibi metuentes effugerent et sacerdotes templum

clauderent, undique fuga et summa turba fieret et multorum rumor spargeretur, Tiberium etiam ceteros tribunos munere remoturum — discurrerant enim, ut modo diximus, tribuni — et se in posterum sine suffragiis tribunum plebis facturum esse. Ex aliis scriptoribus notum est Tiberium ad significandum summum periculum, in quo versaretur, manum ad caput retulisse, quod optimates ita interpretati sunt ut dicerent eum coronam sibi ut regni signum poposcisse; vid. Aurel. de vir. ill. 64, qui Tiberium manum ad caput retulisse dicit, quo salutem suam populo commendaret; nobilitatem autem hoc ita accepisse, quasi diadema posceret; vid. etiam Sallust. de bell. Jugurth. 31, 7. Quo facto senatum in Fidei templum convenisse. Quod ibi maiorum imitati dictatorem non dixerunt, quum iam saepe in summo reipublicae discrimine in sola dictatura spes et salus fuisset, et quod ne in posterum quidem, quum certamina et iusta proelia in viis urbis commissa Romae increbrescere coepissent, dictaturae cuiquam in mentem venit, non potest Appianus non valde mirari. Dictatura iam ex longo tempore plane desierat in usu esse, id quod insigne documentum fuit labentis in dies magis reipublicae Romanae nulla alia causa, quam quod optimates sua commoda non rempublicam respicientes hanc quasi praedam suam habebant, quae non optimorum, sed totius ordinis esset.

Ibi quum deliberassent et consilium cepissent, — quale autem ceperint, reticet Appianus, cuius haec sunt verba: *κρίναντες ὅσα ἔκριναν* — in Capitolium ascenderunt duce Cornelio Scipione Nasica Pontifice Maximo. Iam rem eo usque persecuti sumus, ut ultimum discrimen, quo Tiberius tam foedo et optimatibus turpi modo periit, narraturi simus; antea autem haud abs re fore putamus, ultimas Tiberii factiones repetere, ut inde concludere possimus, quatenus hic tristissimus exitus ipsi Tiberio, quatenus adversariis eius obiiciendus sit. Ut iam antea in superiore disputationis nostrae parte non reticuimus, si quid Tiberius contra leges fecisse visus est, ita ne hoc quidem loco quod iure Tiberio crimini dari potest, praetermittemus; demonstrant enim ipsae res et tempora reipublicae clarissime, quomodo vir praeterea sanctissimus ad res turbulentissimas, a legibus plane abhorrentes, invitus quasi detrusus sit. Quod Tiberius iterum tribunatum petivit, hoc salvis legibus fecit; quamquam enim ultimo tempore non factum erat, ut tribunatus alicuius per duo vel plures annos continuaretur, tamen leges ipsae minime obstabant, quominus hoc fieret. Quae igitur hac de re ab optimatibus contra eum congesta sunt opprobria, ea nihil valent. Sed hoc non potest negari, quum Tiberius causam plebis contra optimates agere coepisset, certaminibus et offensionibus inde inter eos ortis rempublicam in duas quasi partes distractam esse, quarum utraque alteram exitiabili inimicitia odisset; vid. Cicer. de republ. I, 19, 31: mors Tib. Gracchi et iam antea tota illius ratio tribunatus *divisit populum unum in duas partes*. Pax iam inter has factiones componi nequibat; alterutra vincere debebat, victa autem a victoribus humanitatem et clementiam exspectare nullo modo poterat, quia etiam Tiberius, si res ad certamen ventura erat, seditiosos et violentos partis suae socios non poterat prohibere, quominus iram suam contra optimates explerent et victoria intemperanter uterentur; multo

minus autem tale quidquam ab optimatibus, qui solis cupiditatibus et suorum commodorum rationibus movebantur, potuit exspectari. Quod autem ultima ita evenerunt, ut evenerunt, inconstantiae et ignaviae popularis partis tribuendum est, qui illo tempore auctoritate virorum principum etiam valde commoti sunt, ita ut pudore eorum iis resistere non auderent et propugnatorem patronumque suum turpiter desererent; vid. Sallust de bell. Jugurth. 31, 2. Hoc ita fore ipsum Tiberium non fugerat, etiamsi non a primo statim initio consilio et ratione egit, sed necessitate in rebus ipsis sita propulsus est. Minime autem verisimile est, eum ut Plutarchus narrat semper mobilem et dubium rerum progressu magis pulsum esse quam ut ipse res regeret, sed cum clare videret certamen imminens iam non posse vitari, ipsum eius initium fecisse. Etenim quamquam Tiberius mitibus maxime et placidis, ut ita dicam, virtutibus ornatus erat, tamen ne fortitudo quidem et constantia, si his virtutibus opus erat, ei defuisse videntur. Huc accedit quod Appiani narratio in ultimo illo discrimine et certamine, etsi in breve est contracta neque ut Plutarchi res tangit vel minimas, tamen imaginem nobis praebet tam perspicuam et ad veritatem rerum tam accomodatam, ut Plutarchi narrationi haud dubie nobis praeferenda esse videatur. Appianus autem in narrando ita pergit: Optimates, quum ex templo Fidei excessissent, in Capitolium ascendisse Scipione Nasica duce, qui magna voce conclamasset, quicunque parati essent ad conservandam patriam, se sequerentur, deinde toga caput velasset, sive hoc insigni plures sibi adiungere vellet, sive hoc quasi belli signo ut galea uteretur, sive quae iam esset facturus deos celare vellet; vid. Vellei. Paterc. II, 3, qui ultima illa facta ita persequitur, ut perspicue appareat, quantopere omnia confundat: Tum P. Scipio Nasica . . ., cum esset consobrinus Tib. Gracchi, *patriam cognationi praeferens* et quidquid publice salutare non esset privatim alienum existimans — publice autem nihil aliud salutare fuisse apparet nisi quod Nasicae, viro bono, privatim salutare erat — ob eas virtutes primus omnium absens pontifex Maximus factus — rem ita se habere non posse nemo non videt — circumdata laevo brachio togae lacinia ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens hortatus est, qui salvam vellent rempublicam se sequerentur. Tum optimates, senatus atque equestris ordinis pars melior et maior — quot quantisque virtutibus hi viri optimi ornati fuerint, paullo post in bello Jugurthino gloriosissime demonstraverunt — et intacta perniciosis consiliis plebs inruere in Gracchum stantem in area cum catervis suis et concientem paene totius Italiae frequentiam; is fugiens decurrensque clivo Capitolino fragmine subsellii ictus vitam, quam gloriosissime degere potuerat, — si quidem gloriosa optimatium studia imitatus ratione patriae omissa sua commoda curasset — immatura morte finivit.

Videmus ex hac quoque narratione multitudinem Tiberium cingentem primo statim impetu auctoritate nobilissimorum civium et senatorum permotam discessisse, Nasicae comites quidquid iis praesto esset prehendisse et Tiberii factionem percussisse et in declive detrusisse. Multitudo enim cum ibi primum cum optimatibus vi concurreret, etiamtum

reverentia et pudore nobilitatis imbuta nondum vim vi depellere ausa est, sed propugnatorem suum turpiter deseruit; vid. Sallust. de bell. Jugurth. 31. Quo in tumultu et multi Gracchani et ipse Tiberius prope regum statuas trucidatus est. Corpora autem Tiberii et omnium occisorum in flumen praecipitata sunt. Non celat Appianus minime se probare optimatium rationem Tiberium eiusque socios crudeliter et immaniter trucidantium; dicit enim hoc scelus abominandum illo tempore admissum iam in republica gliscere non desiisse, sed fontem quasi et originem fuisse futurarum caedium civilium, quarum altera alteram exciperet. Plane autem comprobanda sunt Appiani verba dicentis Tiberium occisum esse, cum tribunus plebis etiam esset, i. e. sacrosanctus, in Capitolio, quum ad optima consilia violenter accederet.

Copiosius, ut iam supra diximus, Plutarchus hoc ultimum Tiberii tempus persequitur. Dicit enim, quum Mucius tribunus plebis tribus ad suffragia ferenda iterum convocaret, hoc rite fieri non potuisse propter tumultum et concursum hominum, qui omni modo se urgerent et vexarent et concioni se insererent. Ipsi igitur optimates vel eorum asseclae concioni se immiscuerunt, quum Appianus narret optimatium factionem et ipsos tribunos plebis a foro depulsos esse. Quae quum fierent, Flavium Flaccum unum ex senatoribus, quod voce Tiberium contingere non posset, in excelso constitisse atque manu declarasse, se privatim Tiberio aliquid dicere velle. Quum aegre per multitudinem confertam ad Tiberium advenisset, declarasse ei, optimates, qui consuli, ut vi uteretur, persuadere non potuissent, ipsos per se Tiberium occidere constituisse et hanc ad rem multos servos et amicos armasse. Quod quum Tiberius suis renuntiasset, eos statim togis se cinxisse et diffractas apparitorum hastas inter se divisisse. Jis autem, qui procul starent, hanc rem mirantibus eiusque causam perscrutantibus Tiberium manu caput tetigisse et hoc signo declarasse, vitam suam in periculo esse, quia in hoc tumultu et strepitu voce non posset indicare, quid rei esset; vid. de his rebus etiam Aurel. vict. de vir. ill. 64 et Flor. III, 14. Cuius rei quum optimates quoque certiores facti essent eamque sic interpretarentur, quasi Tiberius diadema sibi poposcisset, omnes constrepuisse, Nasicam autem Scaevolam consulem adhortatum esse, ut reipublicae succurreret et tyrannum tolleret. Qui quum cessaret, — vid. Aurel. vict. 64 — vel, ut Plutarchus narrat, etiam in hoc tumultu, *ut fas erat*, a violenter et crudeliter factis abhorreret et negaret, se indicta causa civem interfecturum esse, at si quid multitudo a Tiberio vel persuadendo vel vi commota contra leges decrevisset, id pro rato se non esse habiturum, Nasicam exsultantem conclamasse, quoniam consul rempublicam proderet, sequerentur se, qui rempublicam salvam esse vellent.

Haec Nasicae audacia quod a plurimis scriptoribus non dico comprobata sed summis laudibus celebrata est, omnibus verbis clarius demonstrat, quam parum integre et incorrupte iudicaverint. Inde quid de universo iudicio eorum statuendum sit per se patet. Quid dicamus enim de huismodi locis, quales apud Ciceron. Tuscul. disput. IV, 23, 51 legimus? Mihi ne Scipio quidem ille Pontifex Maximus, qui hoc Stoicorum verum esse

declaravit, nunquam privatum esse sapientem, iratus videtur fuisse Ti. Graccho tum, quum consulem languentem reliquit atque ipse privatus, ut si consul esset, qui rem publicam salvam esse vellent, se sequi iussit. His verbis tam inconsiderate a Tullio dictis nihil aliud addo, nisi Scipionem, si hoc foedissimum facinus admisit non iratus, hominem esse eo contemptiorem; vid. Cic. de republ. II, 27, 50. Non minus perverse quam Velleius Paterculus et Cicero etiam Valerius Maximus iudicat, cuius verba et ipsa apposuimus, ut clare inde appareat, quantopere et in verbis et in sententiis consentiant scriptores Romani, qui quidem ab optimatium partibus starent; hi autem cum multo plures essent, factum est, ut tam perversa et iniusta de Tiberio iudicia ad nos pervenerint. Legimus apud Valer. Maxim. III, 2, 17 haec: Cum Ti. Gracchus in tribunatu profusissimis largitionibus favore populi occupato rempublicam oppressam teneret palamque dictitaret *interempto senatu* omnia per plebem agi debere, in aedem Fidei publicae convocati patres conscripti a consule Mucio Scaevola quidnam in tali tempestate faciendum esset deliberabant, cunctisque censentibus ut consul armis rempublicam tueretur, Scaevola negavit se quidquam vi esse acturum. Tum Scipio Nasica: Quoniam, inquit, consul, dum iuris ordinem sequitur, id agit ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, egomet me privatus voluntati vestrae ducem offero, ac deinde laevam manum parte togae circumdedit, sublataque dextra proclamavit: Qui rempublicam salvam esse volunt, me sequantur, eaque voca cunctatione bonorum civium discussa Gracchus *cum scelerata factione quas merebatur poenas persolvere coegit*.

Ipsam Tiberii caedem Plutarchus rursus copiosius narrat his fere verbis: quum fugientem Tiberium aliquis veste prehendisset, eum missa toga in tunica fugisse, sed titubasse in eorumque corpora illapsum esse, qui ante eum iacerent. Cum surgere conaretur, P. Satureium, unum ex collegis eius, primum fragmento subselliorum caput eius ictu vuluerasse; alterum ictum ei Lucium Rufum inflixisse, qui ipse hoc facto gloriatus esset. Perierunt autem hac caede plures trecentis; vid. Oros. 5, 9: Gracchus per gradus, qui sunt super Calpurnium fornicem, detracto amiculo fugiens ictus fragmento subsellii corruit, rursusque adsurgens alio ictu clavae cerebro impactae exanimatus est; vid. Liv. 58; Valer. Max. I, 4, 2; Flor. III, 14.

Sic igitur Ti. Gracchus supremum diem obiit. Non potest negari optimates crudeliter et inhumane in eum se gessisse, quippe qui vel fratris Gai preces corpus mortui Tiberii petentis respuerent et corpus inhumatum in Tiberim abiici iuberent. Multo crudelius autem socios et amicos miseri Tiberii persecuti sunt, quorum permulti ab optimatibus, qui victis adversariis occisoque Tiberio sine ulla moderatione grassabantur, et ad explendam ultionem solo adversariorum sanguine satiati sunt, indicta causa capitis damnati et crudelissime necati sunt; vid. hac de re Mommseni histor. Roman. part. II, 85; Sallust. bell. Jugurth. 31, 7.

Demonstravimus antea meliorem partem nobilitatis ipsam initio Tiberii studiis favisse, sed quo magis ille ab iuris via decederet et ad violenta consilia praeceps ferretur,

eo magis eam recessisse; etiam in ultimo illo discrimine P. Scaevolam consulem Nasicae, homini vehementi, restitisse vidimus et vi se in Tiberium acturum negasse; quum autem nihilo minus vi actum esset et interfecto Tiberio optimatium factio victrix ex certamine prodiisse videretur, etiam moderati illi viri partem popularem aspernati ad defendendum facinus maiorum exemplis usi sunt dicentes, qui regnum affectaret eum iure occisum esse; itaque factum est, ut vel iudices ad explorandos Tiberii socios designarentur, quibus omnibus rebus caedes eius quasi iure facta comprobaretur; vid. Sallust. bell. Jugurth. 42, 4: Ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa multos mortalis ferro aut fuga exstinxit, plusque in reliquum sibi timoris quam potentiae addidit; vid. Valer. Maxim. VI, 3, 1. Maxime autem in Gracchanos saeviebat P. Popillius Laenas, qui consul insequentis anni creatus erat. In eorum numero, quibus Gracchi amicitia exitio fuit, etiam praeceptores eius fuerunt, Diophanes rhetor, qui periit, et Blossius Cumanus, qui ex vinculis effugit. Notum est huius responsum, quod ad Laelii quaestionem dedit; vid. Plut. Tib. 20; Cicer. Lael. 11, 36; Valer. Maxim. IV, 7, 1. Pro Nasica, quem Plut. affert, Laelium legendum esse, quem alii scriptores exhibent, verisimilius est. Res autem ita se habuit: Quum Laelius ex Blossio, qui ad eum deprecatum venerat, hanc ut sibi ignosceret causam, quod tanti Ti. Gracchum fecisset, ut quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret, quaesivisset: Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet? Nunquam, inquit, voluisset id quidem: sed si voluisset, paruissem. Ex hac nefaria, ut Cicero ait, voce non id apparet, quod Cicero rhetorice concludit; immo videmus ex hac memorabili voce, qui tantam fidem hominum non in pessimis numerandorum, tantam caritatem tantamque pietatem rebus adversis probatam sibi conciliare potuerit, eius virtutes haud mediocres fuisse, quamvis maligne adversarii de eo iudicent.

Optimatium autem superbia, crudelissima Tiberii eiusque sociorum caede, turpissima omnium eorum vexatione, qui studiorum eius participes fuisse viderentur, plebis animi adversus optimates in dies magis exacerbati sunt; quare nobiles, ne plebis furor ad vim progrederetur, non diutius restiterunt, quominus ager publicus divideretur et in locum necati Tiberii etiam P. Crassum, Gai G r a c c h i socerum, virum Gracchorum parti plane deditum, substituerunt. Etiam hoc loco Appianus a Plutarcho plane dissentit. Appianus enim tradit Tiberio interfecto et Appio Claudio, T i b e r i i socero, mortuo Fulvium Flaccum et Papirium Carbonem ad agros dividendos creatos esse; vid. Appian. 18. Omnino hic Appiani locus ad legem agrariam recte aestimandam gravissimus est. Videmus enim ex eo, quantae difficultates non modo ex optimatium avaritia ortae sed etiam in rerum natura sitae legi exsequendae adversatae sint; iam antea identidem monuimus, veteres scriptores eo maxime iniustissime de Tiberio iudicasse, quod eum horum malorum auctorem esse putabant; Tiberius autem bona fide credebat ad exsequendum optimum consilium vel summas difficultates et posse et debere superari; quodsi optimates vel nonnihil cessissent, omnia componi poterant, qua quidem moderatione et aequitate Tiberius fuit. Hoc praetermittentes quo usque stultitiae simul et iniquitatis nonnulli scriptores partium

furore abrepti progressi sint, ex Valer. Max. VII, 2, 6 intelligimus, qui postquam antea senatus sapientiam laudavit haec scribit: Ti. Gracchum tribunum plebis agrariam legem promulgare ausum senatus morte multavit. Idem ut secundum leges eius per triumviros ager populo viritim divideretur e g r e g i e censuit, si g r a v i s s i m a e s e d i t i o n i s e o d e m t e m p o r e e t a u c t o r e m e t c a u s a m s u s t u l i t. Quibus verbis quid potest absurdius scribi, quid iniquius? Gravia vulnera sanari non possunt nisi remediis acribus, quibus singulorum commoda saepe magnopere minuuntur. Quum autem totum corpus semper sit superius singulis partibus, singuli toti reipublicae cedere debent, si quidam patriae amantes sunt. Sane ne hanc quidem in eiusmodi rebus praetermittere debemus quaestionem, nonne incommoda ex remediis adhibendis profecta commodis, quae inde spectentur, maiora sint. Quod si non est, lex est per se probabilis. Altera autem quaestio est non minus gravis, quam Tiberius bonorum consiliorum sibi conscius et praeclaro studio miseris civibus suis et afflictae patriae succurrendi abreptus minus caute respexit, num ea quae tendimus perfici possint v i a l e g i t i m a, vel, si res sola vi decerni potest, num praesidia ad perficiendam rem necessaria nobis praesto sint. Quod si minus est, prudentia vel optimas res omittere cogimur, quia suam aliorumque vitam in apertam perniciem dare, ita ut ne minima quidem utilitas patriae inde redundet, immo ut res vel vehementius et insanabilius turbentur quam antea, non viri patriae amantis, sed delirantis est. Optimum enim consilium, ex quo nihil aliud proficiscitur nisi auctoris interitus, nullius prorsus pretii est.

Populi autem odium in optimates et in carnificem maxime Tiberii, Scipionem Nasicam, adeo auctum est, ut senatus eum specie liberae legationis urbe dimitteret in Asiam, quamquam legibus cautum erat, ne pontifex Maximus urbe excederet; vid. Aurel. vict. 64 et Valer. Max. V, 3, 2: Quis ignorat tantum laudis Scipionem Nasicam toga quantum armis utrumque Africanum meruisse, qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus oppressam rempublicam strangulari passus non est? Sed is quoque propter iniquissimam virtutum suarum apud cives aestimationem sub titulo legationis Pergamum secessit, et quod vitae superfuit ibi sine ullo ingratae patriae desiderio peregit. Obiit autem apud Pergamum, quum aliquamdiu sine honore per complures urbes vagatus esset. Quod hunc hominem populus ardentissimo odio persecutus est, eo minus mirum est, quod vel Scipio Africanus, quo neminem videtur iustius et vehementius amasse, in periculo esset, ne plebis amorem plane perderet. Qui quum apud Numantiam quae ultimo tempore Romae facta erant et Tiberii caedem comperisset, Homeri verbis usus est:

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Superba eius vox, quam Romae edidit, quum ex eo quaesitum esset, quid de Tiberio eiusque caede censeret, eo magis plebis animos ab eo abalienavit; vid. Vell. Paterc. II, 4, 4: Scipio eum interrogante tribuno Carbone, quid de Tiberii caede sentiret, respondit, si is occupandae reipublicae animum habuisset, iure caesum; et cum omnis contio adclamasset: hostium, inquit, armatorum totiens clamore non territus qui possum vestro

moveri, quorum noverca est Italia? Ad haec verba — vid. Valer. Max. VI, 2, 3 et Aurel. vict. 58 — cum murmur concionis ortum esset: Non efficietis, ait, ut solutos verear quos alligatos adduxi. Videmus scriptores de Scipionis dictis nonnihil differre; magnum enim interest, utrum dixerit Tiberium iure caesum esse, si occupandae reipublicae animum habuerit, qua de re omnes consentiunt, an, ut Valer. Max. et Aurel. vict. tradunt, iure caesum videri responderit. Hoc utique constat, in hac Magni Africani voce quamvis summam constantiam, tamen paullum humanitatis infuisse. Huius viri auctoritas autem cum apud omnes et recentioris et priscae aetatis scriptores tanta sit, ut principem eum illo tempore virum fuisse consentiant, hoc iudicium ad aestimanda Tiberii studia permagnum valuisse apparet. Constat inter omnes ne hunc quidem Scipionem Aemilianum partibus optimatium addictum fuisse, sed Scipionis Maioris instar multas inimicitias cum iis gessisse. Excellebat enim uterque Scipio, et Maior et Minor, liberalitate, animi magnitudine, maiore quadam et dictorum et factorum libertate, quibus rebus persaepe senatum offenderunt. Neque vero negari potest superbiam quandam haud raro in iis conspicuam fuisse; tantam humanitatem et misericordiam quantam Tiberius, nunquam prae se tulerunt; etsi calamitates imperii Romani inprimis ex malis optimatium artibus ortas minime ignorabant, tamen tam ardenti his malis medendi cupiditate non flagrabant; res ponderabant cum lentius tum minus cupide. Uterque ut humanitate et doctrina plane exculti erant et consuetudine Graecorum vel hominum Graecis quidem literis doctorum libentissime utebantur, ita ab institutis et moribus plurimorum optimatium, quales quidem tum fuere, quam maxime abhorrebant. Sic factum est, ut Scipiones, qui sua virtute suaque auctoritate nixi senatus gratiam negligerent, toties senatorum invidiam subirent. Scipio Africanus Minor autem tot tantisque virtutibus ornatus erat, ut facile reipublicae princeps esset, et propter probitatem et liberalitatem aeque ab omnibus et amicis et inimicis magni factus est. Is autem vir, quem plebis inopia et Italiae devastatione non mediocriter commotum esse probabile est, quum Tiberii facta improbaret, dilucidissime inde apparet, Tiberium licet omnia eius consilia reipublicae salutaria fuerint, cum viam ingrederetur rogationes suas violatis legibus per vim perferendi, etiam moderatorum virorum animos offendisse, quia reipublicae non salutem sed calamitatem afferre visus est. Persaepe hic Scipio Africanus inferiorum causam contra senatum et optimates suscepit et id maxime egit, ut iudicia non ut antea ludibrio essent. Ipsius potissimum opera antea factum erat, ut lex Cassia, qua in iudiciis populi suffragia clam ferrentur, optimatibus vehementissime renitentibus perferretur. Hic vir mala quibus respublica insanabiliter laboraret bene noverat; sed quum morbum gravem gravioribus remediis sanare nollet, factum est, ut inter duas factiones popularem et optimatium quasi medius staret. Quamquam autem totam fere vitam cum paucis amicis ageret solitariam, tamen nomen eius post mortem celebratissimum fuit, quum optimates illa maxime voce quam de Tiberii caede ediderat gaudentes eum pro sua causa propugnasse contenderent, popularis factio, quae mores eius ab optimatibus alienissimos spectaret, eum suae causae favisse confirmaret.

Scipionem perditam reipublicae conditionem non fefellisse ex precibus apparet, quas censor munere deposito sollemniter precatus est. Quum enim ceteri antea deos precarentur, ut imperii opes et maiestatem augerent, ipse ut rempublicam conservare vellent precatus est. Hic ergo vir omnibus et animi et ingenii virtutibus praeditus, de malis reipublicae optime institutus, quum tamen mala reipublicae radicitus exstirpare non ausus sit, praesertim cum et auctoritate et aetate multo melius quam alii et ipse Tiberius ad hanc rem aptus fuerit, magnum in hac re momentum est ad Tiberii res recte aestimandas. Non est quod moneamus ne quis vagis hominum pravorum rumoribus quid tribuat, qui Scipionem propterea tam inique de Tiberii factis iudicasse eiusque necem laudasse referunt, quod crescente in dies iuvenis gloria offensus est. Tantam iam laudem Scipio sibi pepererat et tam aperte per totam vitam vanae ostentationis et ambitionis contemptorem se praebuerat, ut malignissimi tantum calumniatores, qui res a sua natura metientes omnia facta a malis consiliis profecta esse existimant, de huiusmodi re cogitare possent. Ut iam antea sic hoc quoque loco contendimus — id quod ipsi veteres, ubicunque non insano partium studio abrepti sed incorrupte et integre iudicant, concesserunt, vel ii, qui Tiberii consilia, non modo rationem ea exsequendi vehementissime improbaverunt — optimam fuisse Tiberii voluntatem et ipsas eius leges et rogationes reipublicae salutares fuisse, si ipsae per se spectantur; quum autem singulari cupiditate patriae medendi commotus voluntatem suam non ratione et consilio temperaret, moderationis in exsequendis consiliis oblitus est. Quod igitur peccavit Tiberius ex ipsa virtute profectum est; etenim quo quis ardentiore studio flagrat aliquid perficiendi, eo cupidius rem exoptatam aggreditur impedimentis sibi obstantibus omnino non animadversis. Tiberium igitur nihil aliud perdidit nisi sua ipsius vehementia in exsequendis praeclarissimis consiliis suis et inprimis turpis optimatium obstinatio et crudelitas.

Iam superest ut de Scipione Nasica, quem multi veterum loci gloriosissime praedicant, paullo diligentius inquiramus, et quid de ceteris eius in republica studiis et de ultimo maxime eius facinore, quo tam effusas sibi laudes peperit, iudicandum sit videamus. Haec autem inquisitio si Nasicae minus prospere cesserit, etiam in laudatores eius nonnihil vituperationis recidet. Ante omnia avaritiae crimine hic vir bonus purgari nequit; restitit enim propterea maxime Tiberii legi agrariae cupidissime, quod illa maiorem divitiarum partem, quae in agro publico constiterunt, amissurus erat. Hic vir igitur si sola opinione ductus legem esse reipublicae perniciosam non suorum commodorum ratione commotus ad tantam adversus Tiberium inimicitiam provectus esset, res longe aliter se haberet neque esset quod eum vituperaremus; quod quum non sit, laudes eius, quales apud multos scriptores veteres et apud Ciceronem maxime reperiuntur, summa cum cautione excipiendae sunt. Cum omnibus temporibus tum nostro maxime videre possumus, nihil tam audacter et impudenter in rebus publicis excogitari posse, quin reperiantur, qui auctores non modo defendant sed summis etiam laudibus efferant. Si quae nostro tempore ad evertendum regnum quoddam quasi consulto aguntur, ab iis tantum partibus, qui

ea probant, disseruntur, cum alteri parti contra leges silentium imponatur, mirum non sit eos, qui haec tantum legant, quae ab his rabulis rhetorice et sophistarum more ad captandos hominum imperitorum animos specie summi amoris patriae et priscae disciplinae et pietatis declamantur, ad opinionem adduci, hos esse viros bonos, adversarios homines scelestissimos, nihil aliud nisi facinora et flagitia machinantes. Idem fuit apud Romanos; victrix pars de Gracchis eorumque studiis scripsit et plurimi, qui eos secuti sunt, sine iudicio sententias ab iis propositas propagaverunt. Ciceronis maxime iudicia non certis argumentis et accuratiore temporis hominumque cognitione niti, sed ex falso partium studio proficisci et inanibus orationis flosculis distingui, facile est ad intelligendum. Ipse sibi igitur tam saepe repugnat; nonnunquam iuste et prudenter iudicat, saepe autem ad absurdissima opprobria ducitur; quare in universo huius iudicium fere nullius pretii est. Optime hoc apparet ex ineptis plane laudibus, quas Scipioni Nasicae propter Tiberii caedem tribuit; sic legimus pro Milone 27, 72: Ti. Gracchi interfector implevit orbem terrarum nominis sui gloria. Quodsi omnia Ciceronis dicta huic similia essent, iure acerbissima vituperatione dignus esset. Cum ipse Cicero orbem terrarum gloria sua implevisset, posteri saepe nimis incuriosi essentne dicta eius vera necne auctoritati eius nimium tribuerunt; unde in summos errores adducti ipsi orbem terrarum multis ridiculis fabulis impleverunt. Laudes eius saepe tam mirae sunt, ut merito interrogemus, quomodo vir praeterea prudentissimus ad tantas ineptias venerit. Quid dicamus, si Nasica cum Opimio Gai interfectore, quali viro, coniungitur? Nonne ipsi Ciceroni in mentem venire debebat, si duo homines contemnendi laudis causa componuntur, neutrum alteri decori, sed utrumque sibi invicem dedecori esse? vid. pro Mil. 30, 83; Philipp. 8, 4, 13: Antonius primas omnium civium P. Nasicae, qui Ti. Gracchum interfecit, dare solebat: eius virtute, consilio, magnitudine animi liberatam rempublicam arbitratur. Ex hoc loco nihil aliud cognoscimus nisi Ciceronem non solum nonnunquam alucinatum esse, sed in viris bonis illorum temporum multos socios habuisse. Vetus est dictum nihil novi esse sub luna, non minus vetus est dictum omne simile claudicare. Quam multae iam res, quam multi homines temporibus remotissimi inter se comparati sunt! Hoc loco si similitudinem rerum et hominum persequeremur, quam larga nobis comparandi praeberetur materia! Sane conditio rerum tempore mutata nunquam redit eadem; sed si talia optimatium illius temporis dicta eorumque effusas laudes hominum audacium et impudentiam suam ceterasque malas artes specie virtutis patriaeque amoris velantium cum iis dictis comparamus, quae hodie legimus in commentariis quibusdam rerum publicarum, nonne inde mira hominum similitudo nobis apparet? Utraeque factiones eo maxime peccaverunt, quod totam rempublicam non omnium sed singulorum esse existimabant et non aliorum iura sed sola sua beneficia respiciebant; utraeque factiones cum respublica in discrimine esset ignaviam et perfidiam suam clarissime demonstraverunt; nihilo minus autem impudentia ut proprio suo telo utentes religioni non habuerunt omnibus aliter sentientibus hominibus turpissime obtrectare eosque quasi conculcare. Scilicet hi homines sunt boni et ita se appellant;

etsi et numero et virtutibus animi ingeniique multo sunt infirmiores, tamen ipsi se, qui ab aliis non laudantur, effusis laudibus invicem ornant atque in suis viribus solidissimum reipublicae fundamentum niti gloriantur. Ut homines vere nobiles civitates ornant et augent et respublica Romana virorum illorum opera ad tantum potentiae fastigium provectum est, qui sua commoda negligentes solam civitatis salutem respicerent et pro ea non bona solum sed vel sanguinem libentissimo animo profunderent, ita nihil tetrius, nihil perniciosius est, quam si optimates tam humiliter, tam abiecte sentire coeperunt, ut honoris et veritatis iam rationem non habentes nihil aliud agant nisi ut rempublicam quam maxime exhauriant et exinaniant.

Sed pergamus locos illos enumerare et Nasicae et Ciceroni gloriosos, quibus facinus eius praedicatur; vid. in Catil. I, 12, 29: Summi et clarissimi viri Saturnini et Gracchorum — quam diversi homines inter se comparantur! — et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminaverunt, sed etiam honestarunt. Brut. 58, 212: P. Scipio ex dominatu Ti. Gracchi privatus in libertatem rempublicam vindicavit; vid. Tuscul. disput. IV, 23, 51: Mihi ne Scipio quidem iratus fuisse videtur Ti. Graccho tum quum consulem languentem reliquit atque ipse privatus, ut si consul esset, qui rempublicam salvam vellent se sequi iussit. Consul autem ille languens Scaevola qualis fuit vir! quot et quantis virtutibus ornatus! hunc igitur Nasica patriae amore et virtute superavit! De republ. 6, 8, 8 vel Laelius questus est nullas Nasicae Scipioni statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas esse. Cui Scipio: illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Haec verba si non Ciceronis essent rhetorice declamantis, sed ex ipso illorum virorum ore profecta, Scipionis laudes valde inde minuerentur et Laelium cognomen suum Sapientis a contrario duxisse probabile esset. De offic. I, 22, 76: Non plus Africanus, singularis et vir et imperator, in excidenda Numantia reipublicae profuit, quam eodem tempore P. Nasica privatus, quum Ti. Gracchum interemit. Huiusmodi locos quum legimus, perspicue intelligimus quomodo factum sit, ut posteri Tullii auctoritate temere nixi, quem et in laude et in vituperatione omnem modum excessisse constat, tam diu iniquissime de Gracchis iudicaverint. Qui res accuratius inspicit, testimonium hominis persaepe secum dissidentis, non veritatem sed verborum splendorem spectantis, ut fas est, non magni aestimabit. Ut boni autem illi viri Nasicae facinus specie iuris defendere vel etiam summis laudibus ferre possent, Tiberio exprobrare debebant, eum legibus et largitionibus suis nihil aliud spectavisse, nisi ut regnum sibi pararet, vel potius eum regnum iam sibi paravisse. Cic. de amic. 12, 40—42: Ti. Gracchum regnum occupare conatus est vel regnavit is quidem paucos menses. Num quid simile populus Romanus audierat vel viderat? Quae de Scipione Nasica apud Ciceronem legimus, consentiunt sane cum iis, quae alii scriptores produnt, ut Vellei. Paterc. II, 3; Valer. Maxim. V, 3, 2; II, 8, 7. Tiberii consilia ultimo tempore capta ne iis quidem qui legem agrariam probarent et suaderent placuisse, inde apparet quod vel P. Mucius consul caedem eius probavit; vid.

pro Planc. 36, 88: P. Mucius arma, quae privatus P. Scipio ceperat, Ti. Graccho interempto iure optimo sumpta esse defendit. Quae verba si cum Scaevolae ratione comparamus, quam iniit a patribus admonitus ut vi ageret contra Tiberium, plane ab ea abhorrere videntur; sed considerandum nobis est, optimates vel moderatiores, ne ipsi partem suam deserere et damnare viderentur, caede semel patrata eam defendisse eamque secundum leges factam esse confirmasse, etsi eam non probarent. Hac in re Mucius Scaevola et Scipio Africanus consenserunt. Mirum autem in modum cum his locis, quibus de Tiberio tam acerbe iudicatur, alii eiusdem Ciceronis dissentiunt; vid. ad Herenn. IV, 21, 31, ubi Tiberii nex indigna dicitur, etsi haec non ipsius Ciceronis verba sunt, sed declamatio rhetorica. Idem dicendum est de loco quem legimus ad Herenn. IV, 36, 48, ubi plebs vituperatur, quod omnes defensores suos deseruerit, suos autem inimicos suis suffragiis in amplissimos honores sustulerit; similiter plebis ignavia apud Sallustium arguitur in oratione quam scriptor C. Memmium habentem facit de bell. Jugurth. 31. Ceterum non est omittendum plebem, etsi certaminibus in publico commissis nondum assueta et virorum principum auctoritate quasi obstupefacta defensorem suum tum turpiter deseruit, nunquam tamen amorem eius abiecisse, sed Gracchorum nomine incredibiliter semper tactam esse, quod et ex aliis locis et ex Verr. II, 1, 58, 151 cognoscimus, ubi legimus nomine ipso et memoria Gracchi animos imperitae multitudinis commoveri. Cic. ad Herenn. IV, 55, 68 describit rhetorice miserabilem Ti. Gracchi exitum eiusque percussoris nefandam crudelitatem. In libro de orat. II, 30, 131 et seqq. quaestio proponitur, num poena is afficiendus sit, qui civem ex senatus consulto patriae conservandae causa interemerit, quum id per leges non liceat. Eo minus autem licebat, quum ne ex senatus consulto quidem factum esste; vid. de orat. II, 40, 169. In Bruto 28, 107 ipse fatetur Cicero, Scipionem, quo duce privato Ti. Gracchus occisus sit, hominem quum in omnibus rebus vehementem tum acrem in dicendo fuisse. Iam Ciceronis tempore quaestionem iurene Gracchi interfecti sint in dissertationem declamatoriam venire solitam esse, ex partit. orat. 30, 104 apparet. Ad hanc quaestionem responsum esse, prout quisque vel optimatium partibus faveret vel causam popularem sequeretur, perspicuum est. Ex iis igitur quas iam attulimus caussis satis apparet, cur plerique scriptores tam invidiose et inique de Tiberio iudicaverint. Alia autem haec accedit causa: Gracchi rogationes et leges a plerisque veteribus, qui non accurata temporum ratione et singulatim res eorum narraverunt, sed summatim eas persecuti sunt, non satis distinguuntur. Cum enim uterque Gracchus initio quidem idem spectare videretur, ut miserae multitudinis inopiam sublevaret, Gaius autem et suo consilio et necessitate coactus ad multo vehementiores actiones transiret, ii prorsus false iudicant, qui Tiberii consilia et facta eadem mensura metiuntur qua Gai. Tiberior natura multo mitior et moderatior fuit. Ab eius animo plane abhorrebat senatus opes infringere et se popularis partis facere principem, qua re totus reipublicae status concussus est; Gaius demum intellexit iam tantam esse duarum factionum dissensionem, ut concordia restitui nequiret; itaque si ab adversariis opprimi nollet, ipsi eorum poten-

tiam et opes debilitandas et frangendas esse. Hae autem factiones summa cum inimicitia sibi adversantes ultimo demum Tiberii tempore et caede maxime eius exortae sunt. Ut Tiberius maioris moderationis laudem meretur, ita hoc Gaio contra concedendum est, eum, quum a principio certo ageret consilio, res multo maiore fortitudine et prudentia prospexisse et ad consilium sibi propositum intrepido animo processisse ipsum res agentem et regentem, quum Tiberius rerum cursu ageretur et propelleretur. Hoc tantum autem duorum fratrum discrimen si non accurate observatur, sed, ut fieri solet, utriusque facta et consilia in unum confunduntur, iudicium de iis a recto aberrare necesse est. Quod Ciceroni maxime tribuendum est, qui non modo ipsorum Gracchorum discrimen non observat sed utrumque multis locis cum Saturnino et aliis turbulentissimis plebis agitatoribus et hominibus perditis misere confundit.

Sed quum iam mihi demonstrávisse videar, quid de Tiberio Graccho statuendum sit, finem faciam dissertationis Niebuhrii verbis, quae etsi alio loco et alio de viro dicta tamen ad Tiberium non minus apte referri posse existimo. Hic enim, quum in histor. Roman. parte II, 678 Gai Manlii facta et exitum narravit, ita pergit: Aberravit sane hic vir a vera via adversariorum fraude. Sed deus eorum virorum animos ab iis repetet, quorum dolo et perfidia ad hanc viam depulsi sunt, ipsorum autem vitia et peccata mitiore mensura aestimabit, quippe qui malis demum adversariorum artibus a praeclarissimis consiliis suis ad falsum tramitem detrusi sint. Inest semper in his viris intimus iuris, veritatis, optimae cuiusque causae sensus; ingeneratus iis est amor et misericordia, verum odium veraque ira; servit quidem eorum animus ferventibus cupiditatibus, neque vero opprimitur; atque summae est iniustitiae, vel si rerum cursu ad pravissima quaeque misere delapsi sint, quae facta in hominibus sanctis et integris ut laudabilia praedicantur et honesta, ea in iis aliter aestimare eorumque vel praeclarissimis factis mala consilia subdere, quia homines humiles et sordidi sic agunt.

Jam quum narrata Tiberii vita dissertationis nostrae finem facere cogamur, de Gai legibus et actionibus alio tempore disseremus.

Jahresbericht.

I. Vorbericht.

Das Lehrerpersonal erlitt seit der Bekanntmachung des vorigen Jahresberichtes bedeutende Veränderungen.

Am 31. August v. J. geruhte nämlich S. Maj. der König den Studienlehrer Dr. Gottfried Friedlein, der von 1853—55 als Lehrer der I., von 1855—57 der II. und 1857—62 der III. lateinischen Klasse an der hiesigen Studienanstalt mit dem erfreulichsten Erfolge gewirkt hatte, an die Stelle des in Ruhestand getretenen Professors der Mathematik am königl. Gymnasium zu Ansbach Dr. Friederich zu befördern, und die Lehrstelle der III. lateinischen Klasse dem Studienlehrer in Hof Gustav Bissinger zu übertragen.

Am 30. September verlor die Anstalt durch den Tod einen Mann, der seit einer langen Reihe von Jahren an derselben als Lehrer die segensreichste Thätigkeit entwickelt und bei Verhinderung oder Beurlaubung des königl. Studienrektors oft auf längere Zeit dessen Stelle vertreten hatte, über dessen Lebensschicksale sich folgende Aufzeichnung von seiner Hand bei den Akten findet: „Dr. Johann Albrecht Karl Schäfer, geboren den 22. Mai 1800 zu Ansbach, wo sein Vater Dr. Johann Adam Schäfer zuerst als Lehrer und später auch als Rektor des Gymnasiums nahe an sechzig Jahre segensreich wirkte, besuchte von 1808—1817 die Schule seiner Vaterstadt und studirte dann 2 Jahre lang Jurisprudenz zu Erlangen. Da erwachte seine frühere Vorliebe für das Schulfach auf's Neue, und er ging nach München, um sich in dem dortigen philologischen Seminar für dieses auszubilden. Hier fand er an Herrn Hofrath Thiersch einen treuen Lehrer und wohlwollenden Gönner. Nachdem er im Spätsommer 1821 das sogenannte Professoren-Examen bestanden hatte, war er so glücklich, von einem k. Reisestipendium unterstützt, noch für ein Jahr Leipzig besuchen zu können, wo er sich besonders an Professor Spohn anschloss. Noch im Herbste des Jahres 1822 wurde er durch allerh. Rescript, d. d. Tegernsee den 10. Okt. 1822, zum Lehrer der beiden vereinigten Progymnasialklassen in Erlangen ernannt. Allmählich rückte er in höhere Klassen ein und seit 1838 ist er Lehrer der III. Gymnasialklasse. So gehört er denn bald vierzig Jahre einer und derselben Studienanstalt an, und kann Gott nicht genug dafür danken, dass er ihn gerade hieher geführt hat,

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO ERLANGENSI

RITE CELEBRANDA

COLLEGII PROFESSORUM NOMINE

INDICIT

J. SOERGEL,
SCHOLAE LATINAE MAGISTER.

Inest de Tiberio et Gaio Gracchis commentationis particula III.

ERLANGAE,
TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII.
MDCCCLVI.

Superiore commentationis nostrae parte Tiberii Gracchi facta et finem enarravimus; accedamus iam ad exprimendam Gai imaginem. Tiberium anno a. U. 591 natum esse statuimus; quum autem Gaium novem annis minorem fratre fuisse constet, huius annus natalis in anno 600 a. U. ponendus videtur. Quem ut fratris consilia persequeretur quum invitum et necessitate quadam naturae impulsum esse varii tradant scriptores, omnium primum quaerendum est, num et quomodo eius consiliis factisque publicis interfuerit. Magni iam tum momenti auctoritatem eius fuisse, quum fratris caede unius demum et viginti annorum adolescens fuerit, non est verisimile; sed a fratris consiliis publicis eum minime fuisse alienum inde videmus certissime quod in triumvirorum fuit numero ad discernendum et dividendum agrum publicum creatorum. Triumvir autem creatus videtur, quum ipse Romae non adesset, sed duce Scipione, Semproniae sororis marito, bello Numantino interesset. Eo igitur munere domum revocatus legem agrariam a fratre latam adiuvit; sed mirum est, si quidem illo tempore Romae adfuit, quo Tiberius tumultu facto cum multis sociis suis crudelissime interfectus est, quod quomodo ipse in hoc tumultu se gesserit et a periculo liberatus fuerit nusquam ne mentionem quidem invenimus. Adfuisse autem Gaium tum Romae ex Plutarchi verbis in Tiberii vita cap. 20 coniicimus, qui haud immerito nobiles immanis crudelitatis arguit, quod Gai preces ut occisi fratris corpus ad sepulturam sibi traderetur repudiaverint. Quum optimates victoria foede reportata foedius uterentur, minime est mirum Gaium, qui et aetate et rerum conditione quominus iam tum fratris consilia exciperet et persequeretur impeditus est, proximo tempore plane quiete se gessisse; minime autem inde concludi potest eum initio fratris consilia improbasse et abiecisse. Tota Gai ratio dissimilis fuit nobilium illius temporis iuvenum. Qui quum omnibus se voluptatibus dare solerent, ut dignum magnis meritis suis bonaque in rempublicam voluntate fructum caperent, Gaius vitam agebat simplicem et ieiunam, ab luxuria et avaritia alienam, omnesque ingenii vires ad augendam et acuendam facultatem oratoriam intendebat; hoc enim putabat telum fore adversariis suis infestissimum.

Optimatium igitur spes fore ut Gaius ipsorum exemplum imitaretur et omitteret reipublicae rationem plane fuit irrita. Haec autem res ad vitam eius recte aestimandam maximi

1

momenti est. Etenim quum reputaverimus qualis fuerit plurimorum qui viri boni dicuntur vita, quot et quantis vitiis flagitiisque hi acerrimi reipublicae propugnatores ipsi se paullo post in bello Iugurthino dehonestaverint, contra quum Gai vitae sobrietatem et integritatem cum illorum luxuria comparaverimus, quid de scriptorum illorum iudicio homines pessimos indigne laudantium, virum honestissimum maligne damnantium statuendum sit facile intelligemus. Ut fieri solet in exacerbatis factionum certaminibus boni illi viri nihil curaverunt, qualis Gai fuerit vita, sed quid in republica spectaverit; quod quum ipsis non reipublicae salutem, sed sua commoda respicientibus non probaretur, minime veriti sunt totam Gai voluntatem ut perversam reipublicaeque infestam notare. Quibus tandem studiis nobilium factio impelleretur interfecto Tiberio manifesto demonstraverat, quum victoria sua in persequendis eius sociis foedissime abuteretur. Hac autem immani crudelitate plebis animi inimicorum successu initio fracti adeo sunt exacerbati, ut vel hi nobiles nonnulla moderatione utendum putarent. Quam ob causam Scipionem Nasicam, Tiberii percussorem, quem exquisitissimis laudibus ornare ne Ciceronem quidem puduit, honesta legationis specie Roma ablegaverunt. Eandem ob causam legem agrariam plane tollere non sunt ausi. Ipse autem Gaius praeterito anno 621 hoc collegio cessisse et totum se vitae privatae dedisse videtur. In Tiberii locum P. Crassus et Appius Claudius successerunt; qui quum iam partis popularis principes essent — vid. Cic. d. rep. I, 19, 31 —, ad Tiberii legem agrariam omnes vires convertebant; quamquam enim ex Appiani verbis c. 9: *τρεῖς αἱρετοὺς ἄνδρας ἐναλλασσομένους κατ' ἔτος* videmus tribunos singulis annis creatos esse neque licuisse eosdem duos annos continuos creare hoc tamen constat antequam ipse Gaius anno 624 iterum triumvir creatus est Crassi et Appii Claudii operam hac in re singularem fuisse. Quibus mortuis ipse Gaius et C. Papirius Carbo et M. Fulvius Flaccus creati sunt. Horum neuter ullo modo cum Gaio comparari potest; alter enim, in quo iusta suspicio Scipionis interfecti inhaerere videtur, ipse naturae suae inconstantiam aperuit, quum paullo post ad nobilium partes transiret, alter tota vitae suae ratione demonstravit se non vera reipublicae commoda spectavisse, sed vanam effusi plebis concitatoris captavisse famam. Hi autem triumviri inter se vel maxime dissimiles quominus munus suum exsequerentur et turpibus nobilium machinationibus et impedimentis in re ipsa sitis prohibiti sunt; vide App. 18. Sed post ipsam fratris caedem Gaius, ut iam supra diximus, a rebus publicis plane abstinuit. Primum eum in publicum prodiisse Plutarchus refert, quum orationem pro Vettio quodam, amico suo, haberet. Quo anno et in qua causa haec oratio habita sit nusquam invenimus relatum.

Quum autem Gaius iam ante quaesturam legem C. Papirii de tribunis plebis reficiendis suaserit anno a. U. 623, recte statuerimus hanc pro Vettio orationem eodem anno habitam esse. Etenim nonnullos annos post fratris caedem eum quiete se in republica gessisse Plutarchi testimonio nobis traditum est. Statim autem hac oratione omnium Romanorum et optimatium et popularium in se convertit animos; optimates enim cum terrore providebant quantum sibi ab hoc iuvene, cuius summa esset in dicendo vis et gravitas,

immineret periculum: populares inde ab Tiberii nece propugnatore orbi exsultabant gaudio, quum viderent ceterorum oratorum eloquentiam prae Gaio meram videri infantiam. Quum hi igitur omnibus rationibus eum impellerent ut desertam reipublicae causam susciperet viaque a fratre inita procederet, optimates summis viribus enitebantur ne tribunatum consequeretur.

Anno igitur 623 C. Papirius Carbo tribunus plebis legem suam de reficiendis tribunis tulit. Rogavit autem, ut plebi eundem tribunum plebis, quoties vellet, creare liceret; vid. Liv. epit. libr. 59. Hanc rogationem P. Africanus gravissima oratione dissuasit, C. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit. Ex Ciceronis Laelio cap. 25 cognoscimus Laelium quoque hanc rogationem dissuasisse.

Postea haec rogatio paullo mutata renovata et ita perlata est ut, si numerus tribunatum petentium non sufficeret plebi liceret ex omnibus, id est ex iis quoque creare, qui tribunatu iam defuncti essent; vid. App. 21. Constat Scipionem quum rogationem Carbonis dissuaderet ab eo interrogatum quid de Tiberii caede sentiret eum iure caesum videri respondisse. Cui dicto cum omnis concio, tribunicio furore instincta, violenter succlamasset: Taceant, inquit, quibus Italia noverca est. Orto deinde murmure: Non efficietis, inquit, ut solutos verear quos alligatos adduxi; vid. Valer. Max. 6, 3; Vellei 2, 4; Aurel. Vict. de vir. ill. c. 58; Plut. Apophtegm. T. VIII, ed. Hutt. p. 155. Gaium hoc Scipionis dicto, qui turbam forensem contempsit et plebis rusticae causam defendit, cuius praecipua opera in bellis suis usus erat, vehementissime offensum esse non mirabimur, quum cogitaverimus quanto fuerit animi ardore. Gai orationis nonnulla tantum verba nobis relicta sunt; vid. Charis. p. 143: 'Pessimi Tiberium, fratrem meum optimum, interfecerunt.' Hoc autem constat iamtum Gaium libere professum esse se non discedere a mente et consiliis Tiberi fratris; vid. Meyer. orat. Roman. fragm. p. 228. Si iam antea inter Scipionem et Gracchos haud levis simultas intercesserat, postquam in publico aperte se impugnaverunt, graves inter eos inimicitias oriri necesse fuit. Huic autem irae nova materies accessit. Quum enim triumviri ad agros dividendos in maiores in dies difficultates inciderent, quum plures in dies iura sua violari quererentur, quum per totam Italiam summa exacerbatio apud plebem rusticam maxime exorta esset, Scipio exstitit eorum patronus; vid. App. 18. Eo enim auctore constitutum est ut, si quae controversiae de agro publico exorirentur, non ut ante triumviris sed consuli esset decernendum. Consul autem — fuit is Tuditanus — rei difficultatibus perterritus ad bellum contra Illyrios profectus est; sic factum est, ut triumviri quum arbiter non adesset a munere absistere cogerentur. Inde magna exarsit plebis urbanae invidia in Scipionem, quippe qui plebis rusticae et Latinorum suscepisset causam. Hanc Scipionis invidiam inimici eius auxerunt eum Tib. legem agrariam plane sublaturum esse clamantes. His suspicionibus Scipio oratione in senatu habita respondit; atque fuit ille dies clarissimus eius, quum senatu dimisso domum ad vesperum reductus est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita; vid. Cicer. Lael. c. 3, 12. Altero die in concione Scipio verba facere voluit, sed mane exanimis in cubiculo suo repertus est. Tota civitas hoc nuntio vehementissime perterrita est;

de morte eius varii rumores dispersi sunt; etenim alii eum natura mortuum, alii ipsum sibi vim intulisse, alii ab inimicis esse interfectum referunt; vid. App. 20 et Plut. Rom. c. 27, C. Gracch. c. 10. Suspicio vim ei illatam esse iusta videtur, quum plurimi scriptores ad hanc sententiam inclinent. Qui fuerint caedis auctores hoc loco non est inquirendum; assentimur hac in re accuratae Gerlachii quaestioni de P. Cornelii Scipionis Aemiliani morte, qui Papirium Carbonem aut ipsum caedem patravisse aut saltem ei interfuisse iudicat. Id solum nobis quaerendum est, num ipsam Gracchorum gentem et Gaium maxime, quibus suspicio non pepercit, caedis conscios fuisse verisimile sit. Certa testimonia, quibus aliquid auctoritatis tribui possit, quum non supersint neque quidquam ad nos pervenerit nisi vagi rumores, ad diiudicandam quaestionem num possit excogitari a Gaio hominem eumque sororis maritum, quamvis ei inimicus esset, interfectum esse tota eius natura totumque ingenium respiciendum est. Ut statim nostram de re sententiam proferamus, maximum nobis videtur miraculum quod qui eum caedi interfuisse statuerunt quanto opere ita ipsi inter se discreparent non senserunt. Omnes enim scriptores, quorum quidem iudicium vel nonnullius momenti est, uno ore consentiunt eum hominem fuisse bonis et incorruptis moribus, qui etsi dolore interfecti fratris et ulciscendi cupiditate moderationis fines transgressus est, nunquam tamen humilibus vel sordidis rationibus duceretur; at si statuerimus Gaium cupiditate vel ad caedem adductum esse, quid superest turpe quod non recte ei exprobrari possit? Huiusmodi in rebus mutata sacrorum ratio non multum mutavit; apud veteres non rectius quam apud nos caedes consilio patrata ei obiicitur, cuius reliquam vitae sanctitatem et integritatem omnes testantur. Quomodo autem haec indigna prorsus et absurda fama oriri potuerit facile intelligemus, quum reputaverimus ad quantas indignitates et ineptias concitata et tumultuosa factionum agitatio descendere soleat. Videmus etiam nostra aetate, quum periculosa et turbulenta inciderunt tempora, permultos esse vel rationis imbecillitate occaecatos vel animi malignitate impulsos qui nihil aliud agant nisi ut divulgatis rumoribus vel absurdissimis adversarios laedant. Nihil enim excogitari potest tam ineptum et stultum ut a credulis hominibus non laetis auribus accipiatur. Huiusmodi homines quum non eo culturae et humanitatis pervenerint ut intelligere possint etiam eos qui plane contrarium de rebus publicis cogitent ideo minime esse damnandos, si quidem non sua commoda, sed salutem reipublicae spectent: ii homines cum omnes a se suisque sordidis rationibus metiantur, iis temporibus, quibus concitata multitudo ad pessima quaeque et credenda et facienda prona est, animorum commotione summa cum voluptate ad persequenda mala consilia sua abutuntur. Sic etiam tum Romae fuit. Constat Scipionem acerbis suis de Tiberio dictis summam apud plebem invidiam subiisse, quam quidem ille non modo non sedavit sed congestis in plebem contumeliis etiam auxit. Gracchi autem cum plebe et parte populari ita erant coniuncti ut omnium fere et consiliorum et factorum optimatibus infestorum haberentur auctores. In partium certaminibus plerique non ad veritatem rerum spectant, sed omnes vires eo intendunt ut adversarios quam infestissimis telis impugnent. Iam quum de Scipionis caede nunquam quaestio haberetur, quod scriptores optimatibus faventes a

plebe prohibitum esse tradunt metuente ne principes suae factionis in discrimen adducerentur, hic rumor malignus etiam in futurum libere evagatus est.

Post Scipionis mortem tanta fuit Romae consternatio, ut utraeque partes proximo tempore quietem agerent. Optimates etsi causam suam summa constantia defenderunt tamen animos concitatae multitudinis placare studebant.

Anno post — fuit is annus a. U. 628, si quidem Meyero fidem habemus p. 229 — Gaius rursus in publicum prodire coactus est. M. enim Iunius Pennus tribunus plebis vexavit C. Gracchum lege promulgata ut peregrini ex urbe Roma expellerentur, quominus turbae civiles, quae tum quotannis rempublicam lacerabant, oriri possent. Sed C. Gracchus, qui tum quaestor erat, legi Penni se opposuit, cum bene intelligeret in peregrinis magnum sibi esse auxilium ad imminuendas optimatium vires. Haec Penni rogatio ab ipso Cicerone de offic. III, 11, 47 vituperatur. Nihilo minus autem haec rogatio perlata est; neque vero lex multum valuisse videtur, quum quattuor annis post a. 632 per C. Fannium consulem renovaretur; vid. Plut. C. Gracch. 12 et Cic. Brut. §. 99 et 100. Optimates, ut supra diximus, id potissimum spectabant ne Gaio tribunatu inito occasio praeberetur certamen a fratre inchoatum restaurandi. Ipse autem Gaius, qui etiamtum periuvenis fuit, ad actiones publicas accedere non maturavit, quas adversariorum obstinatione haud fore faciles non ignoraret. Plutarchus quidem refert eum plane invitum necessitate quadam ad rem publicam capessendam impulsum esse. Quicunque autem Gai ingenium eiusque flagrantissimum studium plebis miseriae succurrendi recte aestimaverit quid de his Plutarchi verbis statuendum sit non dubitabit. Non pluris Ciceronis verba aestimanda sunt, qui eum omne munus fugisse scribit et vitam otiosam agere statuisse sed fratris specie per somnum ei oblata stimulatum esse haec dicentis: 'Quid cunctaris, Gai? non licet tibi effugere, sed una eademque vita utrique destinata est, una eadem quemors causam plebis suscipientibus'. Optimatibus autem cum a republica removere cupientibus ipsa sors subvenit, quae eum quaestorem cum L. Aurelio Oreste in Sardiniam provinciam decedere iussit anno 628. Qualem se in hoc munere praestiterit ex Plutarchi narratione in Gai vita c. 2 cognoscimus. Longe omnibus aequalibus suis praestitit et virtute sua bellica et iustitia erga provinciales et benevolentia reverentiaque in ducem. Modestiae vero et temperantiae tot et tanta edidit exempla, ut summum omnium amorem sibi pararet. Ubicunque Gracchi in republica prodeunt non partium certaminibus exagitati, virtutes eorum apparent vere humanae non dissensione publica turbatae. Inde autem dilucidissime liquet eos homines fuisse vere antiquos, optima voluntate praeditos. Quare nemo sani iudicii eos summa sanctitate fuisse negabit. Itaque et Gaium falsis fortasse rationibus nonnunquam ad errores perductum, nunquam autem consulto prava voluisse tenendum est. Quam amabilis autem eius natura fuerit et quantopere omnium, qui non ambitiosis vel sordidis rationibus ut ei resisterent inducti sunt, summam sibi conciliaverit amicitiam, etiam in Sardinia manifesto apparuit. Quum enim aspera et pestifera ibi hiems incidisset et imperator singulis civitatibus vestes militibus comparandas imperaret, eae qui hoc onus deprecarentur legatos Romam miserunt. Qui

quum quod volebant impetrassent et imperator aliunde militibus vestimenta parare iuberetur, Gaius, quum ille unde acciperet nesciret, milites autem valde laborarent, singulas civitates adiit atque auctoritate et gratia sua consecutus est, ut quod civitatibus remissum erat eae sua sponte suppeditarent. Quotusquisque bonorum illorum virorum, qui suis virtutibus superbientes Gaium acerrimis carpebant vituperationibus, hoc perfecisset! Sed quo magis Gai auctoritas et benevolentia apparebat, eo maiore optimates in posterum terrore affecti sunt. Auctus est hic eorum metus, quum vel ex Africa a Micipsa rege legati venirent nuntiantes regem in Gai gratiam militibus frumentum misisse. Itaque milites, ne Gaio singularibus virtutibus eius nimis addicerentur, domum revocari aliosque iis substitui placuit.

Biennium iam Gaius in hac provincia versatus erat, quum senatus eum etiam in tertium annum Roma retinere statuit. Hoc ut fieri posset consulem ipsum in provincia remanere decreverunt, ut et Gracchus quaestor ibi retineretur. Is autem perspectis inimicorum machinationibus plenus irae Romam festinavit. Tum inimici summa ei opprobria ingesserunt et plebis quoque iram in eum commovere studuerunt, quod quaestor consulem suum deseruisset. Vel censores ei equum publicum adimendum putabant, quia iniussu provincia decessisset. Ab his criminibus Gaius oratione apud censores in concione ad populum habita se defendit rationemque factorum suorum reddidit. Huius orationis quum aliquot fragmenta supersint, ea hoc loco afferamus, ut inde qualis eius fuerit eloquentia possit intelligi. Legimus ea apud Gellium 15, 12: 'Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere arbitrabar. Nulla apud me fuit popina neque pueri eximia facie stabant, et in convivio liberi vestri modestius erant quam apud principia. — Ita versatus sum in provincia, ut nemo posset vere dicere, assem aut eo plus in muneribus me accepisse, aut mea opera quemquam sumtum fecisse. Biennium fui in provincia. Si ulla meretrix domum meam introivit aut cuiusquam servulus propter me sollicitatus est, omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote. Cum a servis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare, quomodo me putetis cum liberis vestris vixisse. — Itaque, Quirites, cum Romam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento repletas domum reportaverunt.' Vide etiam Plutarch. vit. Gai c. 2; Meyer. p. 234; Gell. 10, 3 et 11, 10. Gaius igitur adversariorum perfidiam suamque innocentiam tam gravibus argumentis ostendit ut omni crimine liberaretur.

Peradolescens autem, ut fieri solebat apud Romanos, iam castra secutus erat. Etenim quum in hac oratione, quam anno habuit 630, se iam duodecim annos meruisse dicat, quum lege decem tantum annos stipendia facere iuberetur, ut qui inter equites esset, iam anno 618 eum bello interfuisse constat. Vix autem splendidissima oratione sua argumentorumque gravitate hoc periculum effugerat, quum adversariorum fraudes novas ei excogitaverunt insidias. Eo enim impudentiae processerunt ut eum socios abalienavisse et coniurationis ad Fregellas conscium fuisse arguerent. Haec autem causa acta est Opimio praetore, qui Fregellas diruerat. Is postea crudelitate sua adversus Gaium eiusque socios nomen suum sem-

piterna macula adspersit, quae nulla verborum inanium pompa scriptorum levium abstergi possit. Hanc frivolam criminationem facili opera Gaium repulisse non est quod miremur, quum reputaverimus quam liber omni culpa et quam vehemens in dicendo fuerit. His improbis autem optimatium machinationibus, vel si minore animi ardore fuisset, non potuit non vehementissime exacerbari; itaque iam alterutrum sibi faciendum esse intellexit: aut vitam in otio et silentio degere aut summa contentione certamen subire ab adversariis ipsis identidem sibi impositum. Gaius autem, quum educatione et ingenio suo indignam in otio vitam praeferre posset nullo modo, iam viam ingressus est ipso fato ei praescriptam, i. e. petiit tribunatum. Sed antequam actiones Gai tribuni plebis toti reipublicae gravissimas ipsique fatales perlustremus, de ceteris eius vitae rationibus, de ingenio moribusque eius nobis inquirendum est: etenim hac sola via certum verumque de actionibus publicis eius iudicium constitui potest.

Quum et Tiberium et Gaium Gracchos omnes scriptores summa morum sanctitate fuisse consentiant, tamen ipsi fratres satis inter se dissimiles erant. Legimus apud Plutarch. in Gai vita c. 2 eum in victu et sumptu, si cum aliis comparaveris, moderatum fuisse et vel austerum, at si cum Tiberio eum composueris, sumptuosum et luxuriosum, ingenio aspero et iracundo. Sed fortitudine adversus hostes, iustitia in subiectos, diligentia munerum, abstinentia voluptatum eos plane fuisse pares. Sane Gaius a permultis adversariae partis scriptoribus malus civis appellatur, quippe qui totum reipublicae statum evertere studuerit, sed nemo ausus est eum hominem malum dicere perditisque moribus. Etenim ne saevissimi quidem eius adversarii vel unum turpe factum eius afferre potuerunt, quo moribus eius vel levissima macula aspersa sit. Concedimus Gaium impotenti ira et acerrimo optimatium odio incensum fuisse; sed unde haec ira, hoc odium profectum est? Ex ardentissimo patriae amore. Hominem autem patriae amantissimum nonne vehementissime commoveri necesse fuit, si et fratrem videbat pro optima sua in rempublicam voluntate turpissimae neci addictum et optimates nihil nisi sua commoda curantes, qua et sunt et fuerunt impudentia, se patriae propugnatores iactare? Quae quum ita sint, quis miretur Gai cupiditatem iam initio vehementissimam paene usque ad furorem provectam esse? Sed nihil inde criminis redundat ad sanctitatem consiliorum eius totamque vitae integritatem. Videamus hac de re ipsa veterum testimonia: vid. Cic. de invent. I, 4, 5: in Graccho fuit summa virtus et summa virtute amplificata auctoritas; vid. etiam de harusp. respons. 19, 41. Ex ipsius deinde Gai oratione, quam apud Gellium 15, 12 legimus, summa eius apparet castitas et integritas. Cic. pro lege agrar. II, 15, 40 haec scribit: 'venit mihi in mentem duos clarissimos, ingeniosissimos, amantissimos plebi Romanae viros, Tib. et C. Gracchum plebem in agris publicis constituisse. Non sum autem is consul, — inquit Cicero, cuius quidem de Gracchis iudicium, qua est animi inconstantia, perparvi momenti est — qui, ut plerique, nefas esse arbitrer Gracchos laudare: quorum consiliis, sapientia, legibus multas esse video reipublicae partes constitutas'. In oratione de leg. agrar. II, 29, 11 duo Gracchi dicuntur plebis Romanae commoda plurimum cogitasse. Videmus igitur quam-

vis ipsi veteres dicant Gaium rempublicam evertere voluisse, quamvis a nonnullis vel pessimis seditionum auctoribus compararetur improbisque civibus annumeraretur, tamen ne acerrimis quidem eius obtrectatoribus contigisse, ut vel levissimum moribus eius animoque crimen ingererent. Quod autem ipsius sanctitas morumque integritas tantopere laudatur, eo maioris momenti est, quum reputaverimus quanta iam tum vitiorum flagitiorumque pestis luxuria inter optimates in dies magis grassante in rempublicam Romanam irruere coeperit. Tanta autem morum integritas quomodo congruit cum flagitiis atrocissimis? Hoc si veteres respexissent, non ipsi secum dissiderent, quum eidem homini mores incorruptos et flagitia turpissima attribuerent. Quidquid Gaius peccavit, falsis opinionibus non mala voluntate corruptus peccavit. Quod si ex tota eius vita apparet, quid eius modi iudicio quale apud Velleium in hist. Rom. II, 6 legimus tribuendum est? Is enim tradit Gaium eodem furore occupatum quo Tiberium, tam virtutibus omnibus quam huic errori similem, ingenio etiam eloquentiaque longe praestantiorem. Qui quum summa animi quiete civitatis princeps esse posset, vel vindicandae fraternae mortis gratia vel praemuniendae regalis potentiae eiusdem exempli tribunatum ingressus longe maiora et acriora repetens dabat civitatem omnibus Italicis, — nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum, nihil denique in eodem statu relinquebat. Eum L. Opimius consul morte adfecit. Hunc Tib. Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri optimis ingeniis male usi, vitae mortisque habuere exitum; qui si civilem dignitatis concupissent modum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica. Ex his Vellei verbis clare intelligimus eum quid Gracchi actionibus publicis suis spectarent omnino ignorasse. Nihil aliud cogitat nisi opes et potentiam, nimirum ut iis Gracchi ad eadem uterentur studia honesta, quibus plurimi illius temporis optimates tempus operamque dabant! Hoc sane constat Gracchos, si sibi solis viventes reipublicae curam abiecissent, qua erant ingenii praestantia, facile principatum in republica obtinere potuisse; quod si fecissent, vitam egissent honoratam, omnibus voluptatibus affluentem; cui vitae laetissimae quomodo aliquis sanae mentis vitam praeferre posset plenam laborum, suspicionum, periculorum boni illi scriptores non potuerunt intelligere. Sunt sane rara exempla eorum virorum, quibus summa lex sit patriae salus, ipsorum commoda nihil valeant. Quibus quum Gracchi annumerandi sint, apud omnes, qui quidem aeque iudicant, multo maiore fama florebunt quam omnes ii qui, quum in se ipsis ne scintillam quidem eiusmodi voluntatis, quae libenter se pro patria profundat, invenerint, omnium minime iuste de Gracchis iudicare potuerunt.

Sed quum iam statuerimus quid de Gai moribus iudicandum sit, eam virtutem eius, cuius laude praecipue floret, accuratius inquiramus, summam eius dicendi facultatem. Omnes scriptores consentiunt eum in summorum oratorum numero fuisse; classici huius rei loci hi sunt: Cic. Brut. 33, 125: ‚Sed ecce in manibus vir et praestantissimus ingenio et flagranti studio et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse. Damnum illius immaturo interitu res Romanae

Latinaeque literae fecerunt. Ille si diutius vixisset, eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis; manus extrema non accessit operibus eius: praeclare inchoata multa, perfecta non plane.' Idem pro M. Fonteio 17, 39: ‚Exstat oratio hominis, ut opinio mea fert, nostrorum hominum longe ingeniosissimi atque eloquentissimi, C. Gracchi:' vid. etiam de leg. agrar. II, 5, 10; de oratore I, 9, 38; I, 34, 154; ad Herenn. IV, 2, 2; de harusp. respons. 19, 41. Cum hoc Ciceronis iudicio, quod identidem in eius libris legimus, consentiunt ceteri qui de Graccho retulerunt scriptores; vid. Vellei. Paterc. I, 17, 3 et II, 9, 1 et II, 6, 1, quibus locis Gaium ingenio eloquentiaque longe praestantiorem dicit fratre. Idem iudicat Livius epit. 60: C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis, eloquentior quam frater. Idem apud Dionem Cassium 90 legimus: *Γάϊος ἐν παρασκευῇ τῶν λόγων πολὺ τοῦ ἀδελφοῦ διέφερεν*. Iam nobis quaerendum est qualis tandem fuerit Gai eloquentia, quibus virtutibus adeo sibi acquisiverit omnium admirationem? Cognoscimus hoc ex Plutarchi vita Tib. c. 2: Gai oratio ita erat comparata, ut metum et terrorem iniiceret, ad persuadendum apta et splendida. Summa animi commotio ex omnibus eius verbis apparet: quidquid dicit ex animi sententia dicit, non sine colore summae animi commotionis; verba eius non sunt ficta aut splendide composita, non elegantia et arte conspicua, sed summam naturae et veritatis speciem prae se ferunt. Sane insatiabili odio adversus crudeles fratris percussores ardebat; qui suorum commodorum, non patriae rationis causa civium sanguinem profundere non dubitaverant, eos cane peius et angue oderat; impetu quodam oratio eius ferebatur: vid. dial. de orat. c. 26: ‚Malim Gai impetum quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis;' vid. etiam Appul. in apologia p. 589 ed. Oud. Apud Gellium I, 10, 3 fortis ac vehemens orator C. Gracchus dicitur. In Frontonis epistola p. 171 legimus: ‚Contionatur Cato infeste, Gracchus turbulenter, Tullius copiose; iam in iudiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur.' Apud Claudianum Mamertum in epistola ad Sebaudum rhetorem haec sunt: ‚Naevius et Plautus tibi ad elegantiam, Gracchus ad acrimoniam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint.' Hac autem summa animi commotione ingeniique impetu Gaium principem omnium oratorum Romanorum exstitisse Mommsenius iudicat. Tantum eius ardorem fuisse, ut vix ipse sibi temperaret, ex veterum testimoniis constat. Sic apud Plutarch. in vita Tib. c. 2 legimus saepe eum invitum in dicendo ita esse cupiditate abreptum, ut vox eius ira praecluderetur et ipse orationem turbaret. Cui rei ut moderaretur eum Licinio servo, homine non indocto, usum esse, qui fistulam tenens post Gaium dicentem staret et quotiescunque vocem eius sentiret raucam esse et ira interruptam, placidum sonum ederet, unde et cupiditas dicentis et vocis vehementia placaretur et sedaretur. Idem Cicero nobis tradit, nisi quod ille Gracchum hoc servo et ad remittendas et ad excitandas cupiditates usum esse scribit: vid. de orat. III, 60, 225: ‚C. Gracchus servum cum eburneola habere solitus est fistula, qui staret occulte post ipsum, quum contionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret aut a contentione revocaret.' Neque vero sola animi commotione conspicua fuit

Gai oratio, sed etiam summa ubertate et copia. Praeterea nobis testimonium summae Gai cupiditatis affertur, quod ipse primus oratorum Romanorum non uno loco consistebat sed in rostris ambulabat et inter dicendum togam ab humero detrahebat, quod idem de Cleone proditur Atheniensi, qui amictum detraxit et primus oratorum humerum tutudit; vid. Plut. vit. Tib. c. 2 et Dionem p. 130. Apud eundum Plutarchum haec legimus: ‚quum omnes ante Gaium tribuni plebis in dicendo ad senatum se converterent et comitium, ipse primus ad forum conversus contionatus est; quod inde ab eo postea semper factum est; hac parva autem corporis motione magna res significata est, universae reipublicae mutatio, ex optimatium imperio in formam popularem conversae, ita ut postea oratoribus non senatus, sed plebs respicienda esset.'

Eius autem orationibus audientium animos vehementissime commotos esse et scriptorum consensu traditum est et ex fragmentis orationum eius quae supersunt apparet. Haud facile quidquam cum summa eius dicendi vi comparari possit. Unde factum est ut prima statim oratione quam ad populum habuit plebis animi mirabiliter afficerentur; vid. Plut. in Gai vita c. 1. Quanta vis, ut exemplum afferamus, in his Gai verbis inest: ‚Quo me miser feram? quo vertam? In Capitoliumne? At fratris sanguine madet. An domum? Matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam?' vid. Cic. de orat. III, 56, 214. Haec autem dicit Cicero sic oculis, voce, gestu a Gaio acta esse, ut inimici lacrimas tenere non possent. Cetera eius orationum fragmenta suo loco afferemus; iam ex his paucis autem verbis apparet eius eloquentiam ad hominum animos plurimum valuisse, quippe quae cum institutis totius vitae eius optime congrueret et ex imo eius pectore emanaret. Abest omnis apparatus declamatorius, nihil inest fuci verborumque tinnitus, omnia vitam spirant ac naturam. Sic igitur instructus Gaius primum iniit tribunatum anno a. U. 631. Jam supra vidimus eum adversariorum machinationibus, qui ne ab indignissimis quidem et absurdissimis criminationibus abstinebant, vehementissime offensum esse. Plane autem ab actionibus publicis se retinere et in otio turpi vires consumere reipublicae utilissimas nunquam cogitaverat homo et natura fervidissimus et patriae amantissimus. Eius studium autem inimicos ulciscendi, qui summo eum affecerant dolore, quos turpibus cupiditatibus suis rempublicam perdituros esse penitus credebat, summo plebis favore adiutum est. Ingentem inde optimatibus terrorem iniectum esse facile intelligitur. Frustra ii omni auctoritate sua omnibusque opibus usi erant ut hanc Gai petitionem irritam redderent. Plutarchus in Gai vita c. 3 narrat tantam multitudinem undique ex Italia in Urbem confluxisse, ut multi tectis excipi non possent: et quum forum, in quo comitia habebantur, tot homines non caperet, voces suffragantium a tectis et tegulis consonuisse. Hanc Plutarchi narrationem fide indignam esse non est quod demonstremus: sic enim suffragia non poterant colligi. Quamquam autem plebs summa exspectatione eius tenebatur et certissimam ab eo inopiae medelam sperabat, tamen optimates malis artibus suis tantum effecerant, ut Gaius omnibus animi ingeniique virtutibus facile princeps quartus demum tribunus plebis renunciaretur. Vix autem tribunatum ingressus erat, quum et dicendi vi et causam plebis fortissime de-

fendendo omnium animos sibi conciliavit et eo maxime plebem commovit quod identidem fratris crudelissime interfecti optimatiumque immanitatis mentionem fecit. Hoc autem loco, quum videmus Gaium certum quendam legum ordinem proposuisse, quid tandem omnibus suis actionibus publicis sibi voluerit inspiciendum est. Qua in re hominum doctorum sententiae vehementer inter se repugnant; quin etiam fit, ut iidem scriptores aliis locis longe aliter de eo iudicent. Si vel Tiberio, homini moderatissimo et humanissimo, obiici potuit eum per vim potestatem regiam adipisci voluisse, certe non est mirum quod illud opprobrium multo fortius et vehementius Gaio ingestum est. Afferamus primum singulos veterum locos, quibus de Gai consiliis et factis iudicaverunt, deinde sententias graviorum recentioris aetatis rerum scriptorum subiiciamus, postremo quid nobis ipsis statuendum videatur profiteamur. Initium faciamus a Cicerone, qui multis locis iudicia de Gracchis protulit inter se plane dissimilia. De harusp. resp. 19, 41 dolet illa tanta ornamenta ingenii quae in Gaio inerant non ad meliorem mentem voluntatemque esse conversa; contra idem de orat. III, 60, 226 se dolere dicit illos viros in eam fraudem in republica esse delapsos. De finib. IV, 24, 66 haec legimus: ‚Conferam avum tuum, Drusum, cum C. Graccho eius fere aequali. Quae hic reipublicae vulnera imponebat, eadem ille sanabat. Si nihil est quod tam miseros faciat quam impietas et scelus, ut iam omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt, non est tamen aeque miser, qui patriae consulit, et is, qui illam exstinctam cupit.' Sententiarum nexus et tota loci ratio certissime demonstrant haec ultima verba ad C. Gracchum referenda esse. De legib. III, 9, 20: ‚C. vero Gracchus ruinis et iis sicis, quas ipse se proiecisse dixit, ut digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicae statum permutavit?' De amic. 11, 39 Gaius acerrimus dicitur fratris sectator. In Livii fragmentis iudicium de Gai voluntate non superest; nihil aliud legimus nisi Gaium perniciosas aliquot leges tulisse. Dio Cassius, qua est naturae malignitate, plane iniquum de eo iudicium fert; vide edit. Dindorf. vol. I p. 129: *Γάϊος ταραχώδης τε φύσει ἦν καὶ ἑκὼν ἐπονηρεύετο, τῇ δὲ δὴ παρασκευῇ τῶν λόγων πολὺ αὐτοῦ προέφερε. καὶ διὰ ταῦτα ταῖς τε ἐπινοίαις κακοτροπωτέραις καὶ ταῖς τόλμαις προχειροτέραις τῇ τε αὐθαδείᾳ πλείονι πρὸς πάντα ὁμοίως ἐχρῆτο.* Velleius Paterc. haec scribit: ‚Quum Gaius summa quiete animi facile princeps esse posset, vel diiudicandae fraternae mortis gratia vel praemuniendae regalis potentiae eiusdem exempli tribunatum ingressus longe maiora et acriora repetens nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum, nihil denique in eodem statu relinquebat. Oros. histor. lib. V, 12 C. Gracchum magnam reipublicae perniciem fuisse dicit. Plutarchum iuste de Gaio iudicare non est quod moneamus.

Recentiorum rerum scriptorum nescio an nullus de consiliis Gai iniquius iudicaverit quam Mommsenius, quamquam et ipse eum summa morum integritate fuisse concedit. Is scribit in hist. Rom. libro primo ed. I. p. 98: Gaius betrat mit voller Sicherheit den Weg der Revolution, und strebte nach dem Ziel der Rache. — Rache wollte er haben von der elenden Regierung, Rache um jeden Preis, mochte er auch selbst, ja das Gemeinwesen darüber zu Grunde gehen. Idem vir ingeniosissimus, postquam singulas Gai actiones percen-

suit earumque vim persecutus est, ita de consiliis eius iudicat p. 108: Dass diese Verfassung nun keineswegs, wie viele gutmüthige Leute in alter und neuer Zeit gemeint haben, die römische Republik auf neue demokratische Basen stellen, sondern vielmehr sie abschaffen und in der Form eines durch stehende Wiederwahl lebenslänglich und durch unbedingte Beherrschung des formellen Souveräns absolut erklärten Amtes, eines unumschränkten Volkstribunats auf Lebenszeit anstatt der Republik die Tyrannis, das heisst nach heutigem Sprachgebrauch die nicht feudalistische und nicht theokratische, die *napoleonische Monarchie* einführen sollte, das offenbart die sempronische Verfassung selbst mit voller Deutlichkeit einem jeden, der Augen hat und haben will. Velle nos quidem oculos habere, ut recte hoc a Mommsenio iudicatum esse intelligamus, sanctissime affirmamus; sed ne hoc quidem celare possumus nos mentis imbecillitate adduci ut haec Mommsenii verba nobis ingeniosi hominis commenta non ex rebus ipsis hausta sed ex animo praeoccupato orta videantur. De imperio igitur exempli Napoleontis instar cogitavit Gracchus et hanc ad rem plebem et equites sibi conciliavit! Hic tantus vir, quem idem Mommsenius p. 98 sola impotentis animi cupiditate impeditum esse dicit, quominus, ut erat princeps omnium oratorum Romanorum, idem in principibus viris esset, qui unquam in rebus publicis administrandis versati sunt, hic vir non intellexit rem se moliri difficillimam, *omnibus Romanis* infestissimam, quae vix post centum annos republica bellis civilibus foedissime lacerata contigit homini non ut Gracchus erat patriae amantissimo, sed soli ambitioni servienti omnibusque rebus ad explendam hanc cupiditatem callidissime utenti! Quodsi Gaius hoc consilium mente agitavit, quidquid fecit ad perficiendum consilium miserabiles sunt conatus hominis incerti, hominum rerumque plane imperiti. Quam lamentabilis tum in extremo discrimine exstitit! Potuitne, si quidem ulla vena sanae rationis in eo supererat, opinari hoc consilium suum sine ulla vi et sanguine perfici posse? Quodsi hoc intelligebat, unde oritur summus eius metus ne profuso civium sanguine causam suam macularet? Sed postea, quum ad singulas res pervenerimus, evidenter demonstrabimus Gaium de his rebus, quas Mommsenius ei supposuit, ne cogitasse quidem. Contra Nitzschius Gaium id spectavisse iudicat ut plebe rustica cum urbana commisceretur et in illius locum substituerentur Latini sociique civitate donandi: vid. Nitzsch. p. 403: Der letzte Zweck des Ganzen war die Einführung der verbündeten Bauernschaften in die Comitien, so dass in ihnen die ländlichen Interessen wieder wirkliche, bemittelte Vertreter erhielten. Ich meine, dass Gracchus durch die neuen Colonien das Gewicht des alten populus Romanus dem neuen bäuerlichen gegenüber schwächen wollte. Also nicht die armen Leute grundangesessen zu machen war dabei die Absicht: vid. Worbsii dissert. de legib. a C. Graccho latis p. 24. Quae hic contra Nitzschii sententiam affert fere omnia nobis probantur; nos quoque nullo modo adduci possumus ut credamus Gaium plebem Romanam ex agris in urbem contrahere voluisse; immo plebem rusticam agrorum possessione augere voluit. Neque enim tam caecus erat plebis urbanae admirator, ut undique plebem in urbem contrahere cogitaret; quam parva spes in eius constantia ac fide ponenda esset, ipsius fratris caedes eum docuerat. Etiam Gaius ut ceteri

Romani optime noverat plebem rusticam, honestissimum et fortissimum ordinem, robur esse exercitus totiusque reipublicae. His igitur aliisque causis etiam haec Nitzschii de Gaio sententia repudianda est. Longe aliter Niebuhrius iudicavit, qui Gai patriae amorem et sapientiam laudibus effert quam maximis. Is Gaium rempublicam non evertere sed novis et firmioribus fundamentis stabilire voluisse censet; inprimis consilium eius receptis in civitatem sociis libertinorum et corruptae plebis urbanae vires frangendi non posse satis laudari; omnino leges eius, quas quidem accuratius noverimus, praestantissimas et reipublicae saluberrimas fuisse. Hoc cum viro gravissimo C. Fr. Rothius plane consentit; is et ipse in histor. Rom. part. II. p. 83 Gaium rogationibus suis sane senatum ulcisci voluisse dicit; neque vero eum, ut Mommsenius iudicat, qua floret arte res immoderate augendi, ulcisci adversarios voluisse, vel si tota respublica periret. Gaius ita senatorum opes frangere studuit, ut simul intolerabilia reipublicae mala sanaret. Acerrimus autem senatorum inimicus ideo erat, quod senatum ordinem putabat plane corruptum, nihil nisi sua commoda curantem. Hanc veram Gai sententiam fuisse, quum variis rogationibus suis reipublicae formam permutare studeret, permulti scriptores statuunt, quorum auctoritatem hoc loco afferre longum est. Sed iam quid nobis ipsis de Gai voluntate et consiliis publicis statuendum videatur exponamus.

C. Gracchus a fratris consiliis non abhorruerat, quippe qui peradolescens in triumviris esset creatus; viderat eius caedem crudelemque optimatium ultionem; animo eius, quo erat ardore, semper obversabatur vesper ille, quo frustra inimicis supplicaverat ut saltem caesi corpus ad sepulturam sibi traderetur. In Tiberim dilecti fratris, cuius animus solo patriae amore incensus erat, ut hominis nefarii corpus deiectum erat. Praeterea miser frater duos liberos praegnantemque uxorem reliquerat, quorum omnis spes omneque praesidium in ipso positum erat. Cornelia mater dilecti filii morte vehementissimo dolore affecta Misenum se contulerat, ut fugeret homines, qui filii sanguinem profudissent, vitaret loca, quae sanguine eius maderent. His omnibus rebus non potuit fervidus eius animus non vehementissime incitari. Et quales ii fuerunt, a quibus et fratri indigna mors parata, et patriae vulnus gravissimum inflictum erat? Erant viri boni. Quam ob rem haec omnia facta erant? Nullam aliam ob causam nisi ut ipsorum commoda conservarentur. Gaius igitur hos homines improbos reipublicae perditores esse putabat, qui dummodo ipsi florerent omnia perdere et proiicere parati essent. Quae si fuit Gai de his hominibus sententia, quid mirandum est si bellum iis indixit internecivum? Vertitur ei crimini, quod rempublicam evertit. Hoc eatenus concedendum est, quatenus respublica optimatium fundamento nitebatur. Hanc quidem reipublicae formam, qua tota respublica penes optimates fuit, omni modo evertere molitus est. At si constat, quod multi scriptores pro certo nobis et explorato tradiderunt, sublato optimatium imperio rempublicam nullo modo stare potuisse, tum vero Gracchus ipsa reipublicae fundamenta disiecit. Ne ita quidem iustum crimen ei obiici potest; etenim non ipse effecerat ut reipublicae tam desperata esset conditio. Hoc ideo factum erat, quod optimates ne minimum quidem de commodis suis reipublicae con-

donare volebant. Quod nisi fieret rempublicam celeriter ad interitum ruere Gaius bene perspexit; itaque, quum boni illi viri sua sponte non cederent, eorum vires legibus suis frangere constituit. Quod adversarios non fregit, sed ipse cum consiliis suis periit, non ipsius sed temporum fuit culpa. Semper igitur est respiciendum quae fuerit Gai voluntas, non quid effecerit. Etenim non eventus, sed hominis voluntas rectam nobis iudicandi normam dat. Gai autem leges et lex agraria inprimis id spectabant ut firmior reipublicae status institueretur. Plebem qualis tum esset non posse rempublicam sustentare Gaium non fugiebat. Studebat igitur huic ipsi plebi meliorem parare conditionem; qua non mutata nihil boni ab iis pro republica exspectari potuit. Praeterea autem etiam ita voluit reipublicae vires augere, ut sociis et Latinis civitatem daret; novas igitur melioresque partes reipublicae corpori iniungere voluit, quum quae tum fulciebant eam membra iam diu putrescere coepissent. Hanc autem de optimatium nequitia Gai sententiam non fuisse falsam, summa huius ordinis corruptela, quae paullo post in bello Jugurthino foedissime erupit, certissimo indicio est. Itaque si Gaius quod iam putrefactum esse putavit penitus confringere et tollere studuit et novum rerum ordinem priori substituere, opus ingressus est minime vituperandum. Quod opus tam arduum fuisse ut vires eius superaret facile concedimus; inde autem nihil aliud apparet nisi gravi errore eum implicatum esse, voluntas eius minime damnari potest. Quum ei non contingeret ut legibus suis perlatis novum quasi ordinem sanum et incorruptum in republica institueret melioresque in infectum reipublicae corpus quasi succos intunderet, nihil aliud factum est nisi ut, quod tum erat reipublicae fundamentum, quum antea esset infirmissimum, penitus perturbaretur et everteretur. Sed quis hoc merito Gaio crimini dare possit? Ipsa adversariorum obstinatione quominus consilia sua reipublicae salutaria exsequeretur impeditus est; si odium eius adversus hos homines iam antea acerrimum incredibiliter auctum est, si hos homines quos pestem putabat reipublicae omni pretio loco depellere voluit, quid est mirandum? Itaque plane errant qui eo nomine vituperant Gracchos, quod seditionum et bellorum civilium fuerint auctores; minime enim ipsi discordiarum materiam per dolum et improbas artes reipublicae intulerunt, sed summa mala quae nisi tollerentur respublica stare non poterat vel gravibus remediis tollere conabantur. Haec autem mala, etiamsi Gracchi summo otio se dedissent, non potuerunt diu comprimi; immo si medela non adhiberetur, fortasse paullo post erant eruptura totamque rempublicam perturbatura. Itaque si veteres scriptores Gaium rempublicam evertisse dicunt, id quidem concedendum est, sed ita, ut eum statum reipublicae qui diutius conservari non posset eum evertisse dicamus. Summum igitur et praecipuum harum seditionum crimen optimatibus tribuendum est. Quae si recte de Gaio iudicata sunt, hoc simul inde apparet Gaio certum quoddam consilium propositum fuisse, quum primum tribunatum peteret. Nobis quidem minime verisimile videtur Gaium, id quod complures scriptores referunt, metuentem ne eodem quo frater fato abriperetur ab actionibus publicis plane abstinere studuisse, sed indignis optimatium criminationibus et urgente quadam fati necessitate ad violenta facta invitum detrusum esse; etenim quod non iam antea certamen

a fratre inchoatum persecutus est huius rei non voluntas eius, sed res ipsa et magna eius adolescentia causa fuit. Penitus ei opinionem inhaesisse, si optimatium partes non essent devictae, rempublicam stare non posse ex studio eius apparet quo statim postquam tribunus factus est hanc factionem impugnavit. Quum enim tribunatum iniisset, omnium spes in eo solo erat posita. Ipse autem omnibus orationibus suis id spectavit ut plebis animi magis magisque et sibi conciliarentur et ab optimatibus averterentur. Itaque semper memoriam fratris crudeliter occisi renovavit plebemque admonuit quanta severitate maiores sanctitatem tribunatus observassent; illos Fatiscis bellum intulisse, quod Genucio tribuno plebis maledixissent, et C. Veturium vel capitis damnasse, quod tribuno per forum eunti solus e medio non cessisset; at hos optimates in plebis conspectu Tiberium fustibus percussisse eiusque corpus per urbis vias tractum in Tiberim deiecisse; vid. Plut. Gai vit. 3. Se leges suas sine summo plebis favore non posse perferre non ignorabat; hanc igitur excitare et omni modo ad iram adversus optimates stimulare debuit.

Primae autem quas tulit rogationes, quum tribunatum iniisset, erant hae: ne de capite civium Romanorum iniussu populi iudicaretur, sive: si quis magistratus iudicio quem circumvenerit, de eius capite populi esse animadversionem; altera si quem magistratum populus munere abdicavisset, ne liceret ei iterum munus petere. Hanc autem legem, qua M. Octavius petitus est, qui quum Tiberii legi agrariae obstaret tribuum suffragiis munere abdicatus erat, ipsa matre Cornelia deprecante Gaius revocavit. Neque plebs hoc aegre tulit, tanta fuit eius reverentia et amor adversus Corneliam. Alio loco demonstrabimus quod Cornelia huic rogationi obstitit inde minime esse concludendum eam universis filii consiliis adversatam esse; immo recte nobis inde coniicere videmur eam in universum cum filio consensisse; hac enim ratione sola intelligitur quomodo factum sit ut in singulis rebus filii ardorem temperaret eumque ad viam rectam reduceret; contra si omnino filii consiliis restitisset, haud facile ut singulas rogationes revocaret obtinuisset. Altera autem lege de civium libertate, uti, si quis magistratus de capite civis romani iniussu populi iudicasset, de eius capite populi esset animadversio, perlata statim P. Popillium Laenatem in ius vocavit, qui in consulatu a. 622 crudeles quaestiones de sociis Tiberii exercuerat. Contra hunc Popillium Gaius duas orationes habuit, quarum altera in P. Popillium pro rostris, altera in Popill. circum conciliabula inscribitur. Utramque orationem Nitzschius a Gaio habitam putat antequam tribunatum petierat; utraque enim id spectavisse ut proximis comitiis plebis favorem et suffragia sibi pararet; neutiquam verisimile esse Gaio, quum iam tribunus factus esset, potestatem esse oblatam per Italiae provincias proficiscendi ibique in foris sive conciliabulis homines incitandi, ut quidquid de Popillio scirent proferrent. Quod in medio relinquamus; hoc quidem constat utramque orationem aut brevi ante aut paulo post initum tribunatum habitam esse; utique temporum ordo, quem Meyerus constituit, non est probandus; is enim has orationes post orationem de legibus a Gaio promulgatis habitas esse censet. At omnes scriptores hoc nobis retulerunt, Gaium statim post initum tribunatum legem illam de civium libertate tulisse; ex hac autem lege utraque in Popillium oratio profecta

est; inde apparet orationes et ipsas statim initio tribunatus habitas esse, priusquam ceteris legibus gravissimis et ordinem senatorium frangere et novum rerum statum instituere conatus est. Ceterum Gaius orationibus suis quod voluit consecutus est; Popillius enim non exspectato populi iudicio in exilium sponte abiit, unde postea a. 633 post necem C. Gracchi per L. Bestiam restituebatur; vid. Meyer., p. 238. Quae paucae harum orationum reliquiae supersunt — vid. Gell. XI, 13: ‚Quae vos cupide per hosce annos appetistis atque voluistis, ea si temere repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupide appetisse aut nunc temere repudiasse dicamini' — etiam nobis nimis artificiosae videntur neque vim illam et vigorem spirant, quo reliquae Gai orationes conspicuae sunt. Hanc legem, quae plebi occasionem praebuit eum consulem ulciscendi qui antea Gracchanorum sanguine furorem optimatium satiaverat, ab ea cupide acceptam esse facile intelligitur. Is enim Popillius permultos post Tiberii caedem ut eius socios capitis damnaverat. Nimirum optimates id spectaverant ut huiusmodi sententiis de civium capite latis improbo illi facinori, Tiberii caedi, quasi iuris signum imprimeretur; hanc ad rem Popillius promptum se carnificem praebuerat. Hae autem sententiae contra omne ius et fas latae erant; quare non est mirum plebem in auctorem earum summo odio affectam fuisse. Cicero quidem etiam Popillium ut hominem bonum C. Graccho seditionem paranti opponit eumque laudibus ornat exquisitissimis; sed quid in his rebus auctoritati eius tribuendum sit iam saepe vidimus. Gracchum ab ultionis cupiditate non fuisse alienum mirum nobis non potest videri, quippe qui et summo naturae ardore esset et adversariorum crudelitatem cognovisset prorsus immanem. Haud latebat eum optimatium sibi infestissimorum unum esse consilium ipsum quam primum tollendi. Itaque e sua ratione egit si cruentis adversariorum consiliis occurrit eosque poena affecit iustissima.

Jam lege Porcia de provocatione licentia magistratuum in provinciis maxime coercita erat; hac autem Gai lege exemtionis ius plane sublatum est; in futurum neque dictatori neque consulibus, etiamsi potestas ad eos a senatu delata erat, de capite civis Romani iudicare licebat. Deinde hac lege supplicium civis Romani plane sublatum est, quod quum iam obsolescere coepisset tamen nonnunquam more maiorum sumebatur. Postremo is, qui hanc legem violasset et damnatus esset, exilio multatus est. Haec igitur lex, qua cives Romani a magistratuum licentia graviter defendebantur, a veteribus ipsis ut optimum libertatis praesidium praedicata est; vid. Cicer. in Verr. V, 63, 163 et Goettling. p. 436.

Quodsi Nitzschius recte constituit has Gai orationes, quibus lex eius ipsa quasi praeparata est, ante initum tribunatum habitas esse, quod, ut supra diximus, non prorsus negamus, minime tamen de tempore consentimus, quo Gaium orationem de legibus a se promulgatis habuisse existimat; hanc enim altero demum tribunatu habitam esse putat. Hoc minime verisimile esse postea demonstrabimus. Auctoritate Appiani inductus Nitzschius in hunc errorem incidisse videtur; is enim plurimas et gravissimas Gai leges altero demum tribunatu latas esse refert. Rationes autem quae nobis quominus hoc credamus obstant tam graves sunt, ut ne huius quidem scriptoris auctoritas praesertim cum a ceteris

dissideat magni momenti sit. Nos igitur arbitramur eum iam in primo tribunatu orationem habuisse, quibus leges suas populo commendaret. Huius orationis, quum nonnulla fragmenta ad nos pervenerint, ea ad illustrandam Gai eloquentiam supposuimus. In scholiis Bobiensibus in Cicer. orat. p. 365 edit. Orell. haec legimus: ‚Si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, cum genere summo ortus essem et cum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani et Tiberi Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset: haud scio an lubentibus a vobis impetrassem.' Deinde hac oratione intolerabilem sane optimatium crudelitatem, qua in provinciis maxime utebantur, ut invidiam contra hunc ordinem commoveret, nonnullis exemplis allatis acerrime castigat; vid. Gell. 10, 3: ‚Nuper Teanum Sidicinum consul venit, uxor eius dixit se in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino a M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro parum cito sibi balneas traditas esse et parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius. Vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. Caleni ubi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus romanus ibi esset. Ferentini ab eandem causam praetor noster quaestores arripi iussit; alter se de muro deiecit, alter prensus et virgis caesus est.' Idem in eadem oratione alio loco dicit: ‚Quanta libido quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, unum exemplum vobis ostendam. His annis paucis in Asiam missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur. Ei obviam bubulcus de plebe Venusina venit et per iocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit, num mortuum ferrent. Ubi id audivit lecticam iussit deponi, struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari iussit, dum animam efflavit.' Notabilis sane narrationis simplicitas est, qua audientium animi magis etiam commovebantur; eiusmodi res ubi acciderunt ipsae loquuntur, non indigent profecto magna orationis arte. Huic autem ordini, qui ita omnem pudorem exuit omniaque crudelitatis exempla edidit, Gaium bellum indixisse internecivum quis recte miretur? Haec exempla non ficta vel oratoris cogitatione aucta fuisse et eo videmus quod auctorum nomina affert et tota narratio summam veritatis speciem prae se fert. Tantae autem immanitatis exempla in provinciis non rara fuisse ex aliis quoque scriptoribus intelligimus. Quis enim, ut exemplum afferamus, non summa indignatione afficiatur, quum foedissima illa flagitia legerit, quae Cicero a Verre in Sicilia provincia commissa esse tradit? Eiusmodi homines si unum reipublicae fundamentum erant, quo sublato ipsa respublica non poterat stare, Gaius vel ita non esset vituperandus, si nihil curans quid ex legibus suis consequeretur solam hanc pestem summis viribus exstirpare studuisset; etenim si respublica aut sic tantum stare potuit aut perire eam necesse fuit, melius periit quam sic diutius stetit.

Ita quum Gaius viam sibi munivisset et plebis odium adversus optimates excitavisset, ad ipsum opus suum progressus est, ut nobilium opes frangeret et civitatem in plebis potestatem transferret, cuius ipse princeps esset. Hunc ad finem tota legum series specta-

bat, quas inter se connexas populo perferendas proposuit. Qui fuerit earum ordo perdifficile est ad statuendum; tantus est scriptorum de iis referentium dissensus. Praecipui nobis fontes sunt Plutarchus, Appianus, Livius, Velleius. Et Plutarchi quidem narratio omni caret perspicuitate; utique eum in enumerandis legibus temporis ordinem plane neglexisse apparet. Leguntur autem apud eum Gai leges hoc ordine: *ὁ νόμος κληρουχικός, στρατιωτικός, συμμαχικός, σιτικός, δικαστικός, ἀποικικός, ὁδοποιικός.* Has leges gravissimas, quibus nova reipublicae forma constitueretur, Plutarchus omnes in priore eius tribunatu latas esse refert. Contra apud Appianum haec legimus: Gaius statim post tribunatum initum senatui insidiatus est primum lege frumentaria. Quum alterum autem tribunatum iniisset et lege frumentaria iam plebem sibi conciliasset, etiam equites sibi devincire studuit lege iudiciaria. Ceteras autem eius leges hoc ordine enumerat: *νόμον ὁδοποιικόν, ἀποικικόν, λατινικόν, συμμαχικόν.* Apud Livium libr. 60 haec leguntur: ‚C. Gracchus perniciosas aliquot leget tulit, inter quas frumentariam, ut senis et triente frumentum plebi daretur; alteram legem agrariam, quam et frater eius tulerat; tertiam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet, ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur et quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur, id est ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet. et continuato in alterum annum tribunatu legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur et una in solo dirutae Carthaginis; quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit.' Velleius denique haec prodit: ‚dabat Gracchus civitatem omnibus Italicis, extendebat eam paene usque Alpis, dividebat agros, vetabat quemquam civem plus quingentis iugeribus habere, quod aliquando lege Licinia cautum erat, nova constituebat portoria, novis colonis replebat provincias, iudicia a senatu transferebat ad equites, frumentum plebi dari instituerat.' Tantam videmus fontium confusionem et discrepantiam esse, ut vix verum erui possit. Conferamus primum Plutarchum et Appianum; et Plutarchum quidem iam supra diximus omnes fere Gai leges in priore tribunatu latas scripsisse; Appianus vero priori eius tribunatui solam legem agrariam tribuit, ceteras omnes in alterum tribunatum transtulit. Livius autem hac in re cum Plutarcho consentit et ipse omnes fere Gai leges in priore tribunatu latas esse tradit. Velleius denique inter priorem et alterum Gai tribunatum omnino non distinguit, sed omnes eius leges perversissime mixtas enumerat; quo quum accedat quod rem ita narrat ut Gaius vel legis agrariae auctor fuisse videatur, si quidem quod iam a Tiberio constitutum erat ille Gaio tribuit: narrationi eius haud multum tribuendum sit. Quamvis magna autem confusio sit, hoc quidem constat ordinem legum ab Appiano et Livio optime esse conservatum. Qui quum de tempore quo singulae leges latae sint eo maxime differunt quod Appianus fere omnes in alterum tribunatum, Livius in priorem transtulit, de ordine plerumque concordant. A Plutarcho propositam legum seriem non esse rectam facile evincitur; quantopere ille singularum legum tempus confuderit iam inde apparet quod *νόμον συμμαχικὸν* ceteris legibus ita inseruit, ut inter eas quasi delitescat. Lex autem Gai de civitate Italis danda in gravissimis est; hac enim perlata totam

reipublicae formam permutari necesse fuit. Hac lege senatum ad acerrimum certamen impulsum esse constat; his aliisque causis eam ultimam ab eo rogatam esse verisimile est, qua omnibus actionibus publicis suis quasi cumulus accederet. Jam quum ea quae Plutarchus et Velleius, de quo infra dicemus, de serie legum a Gaio latarum nobis produnt non possint recta esse, soli nobis supersunt Appianus et Livius. Et Nitzschius quidem Appianum maxima fide dignum esse putat eumque sequitur ducem. Quae sententia si vera est, prior Gai tribunatus nulla fere alia re insignis fuit nisi lege frumentaria. Concedimus sane hac sola lege Gaium totam plebem sibi conciliasse. Hunc plebis favorem tantum fuisse dixit Nitzchius, ut Gaius non petens iterum tribunus plebis crearetur. Cuius beneficii ut gratiam referret eum novas multoque graviores leges plebi professum esse et altero demum tribunatu tulisse. Cum hoc autem eius iudicio minime consentimus; nullo enim modo a nobis impetrare possumus ut credamus Gaium perlata lege frumentaria, quod primo statim tribunatus initio factum videtur, per totum annum otium gessisse. Vidimus enim Gaium plebi iam ab initio successorem visum esse fratri necessitate quadam fati substitutum. Qui quum post fratris caedem aliquamdiu cunctari videretur, variis rebus ad rempublicam capessendam impulsus est. Iam quum primum in publico dicere coepit, statim mirum in modum omnium animi in eum conversi sunt. Vidimus plebem, quum ille tribunatum peteret, tam enixe eum adiuvisse, ut omnes optimatium conatus Gai consiliis adversandi irriti fierent. Quum autem Gaius tribunatum iniisset, omnes tanta eius exspectatione tenebantur, ut si per totum tribunatum priorem nihil nisi legem frumentariam pertulisset, non posset intelligi quomodo factum sit ut nihilo minus tantus plebis favor fuerit ut non petens iterum tribunus plebis crearetur. Immo Gaium iam quum iniret tribunatum varias leges mente agitavisse statuendum est, quibus et plebis amorem sibi pararet et optimatium opes frangeret. Huc accedit quod eum iam priore tribunatu ad summum potentiae suae fastigium ascendisse constat; in secundo enim tribunatu per adversariorum fraudes plebis favore excidere et praeceps ad ruinam ferri coeptus est. Hoc autem non esset factum, si altero demum tribunatu summum plebis amorem legibus gravissimis latis sibi peperisset. Itaque nobis statuendum est eum plures et graviores rogationes iam priore tribunatus anno pertulisse. Sic autem apparet altero anno ei facultatem defuisse propositis commodis plebis favorem sibi retinendi. Quod quum optimates haud lateret, simul per fraudem et insidias ita ab iis petitus est, ut per speciem plebi vel plus commodorum et libertatis concederent. Sic eius auctoritas plane oppressa est. Si Livio igitur fidem habemus et Gaium plurimas leges suas iam in priore tribunatu pertulisse statuimus, facile intelligemus quomodo factum sit ut in altero tribunatu, quippe qui acerrimis telis adversus optimates iam abusus esset, vel aliquamdiu ad coloniam in Africam deducendam Roma abesset, novis beneficiis plebi propositis amissam gratiam recuperare non posset, paullatim opes et potentiam plane amitteret. Itaque etsi Appianus de serie legum maiore fide dignus sit, tamen de tempore earum Livius mihi praeferendus videtur, quum res ipsae hunc temporis ordinem poscere videantur. Velleium omnium minime respiciendum esse commemoravimus. Quam

absurde et perverse is singulas leges enumeraverit Nitzschius inde maxime cognosci posse dicit, quod primam eius legem attulit legem de civitate omnibus Italis danda et ultimam legem frumentariam; praeterea etiam omnes leges inverso ordine enumeravit. Et Nitzschius quidem hoc perfide ab Appiano factum esse putat. Etenim si Gracchus legem de civitate sociis danda primam tulisset, neminem non videre eum iam primo impetu adversus optimates facto totam rempublicam evertere voluisse. Gracchum igitur inde ab omni initio nihil aliud egisse nisi ut rempublicam confunderet et perturbaret. Quodsi omnium legum ultimam legem frumentariam tulerit, ita ut posteriores leges hanc quasi praepararent, qua totius plebis princeps exstiterit, eo maiore eum contemptu dignum esse. Hoc ne Velleium quidem fugere potuisse: itaque si ille nihilo minus leges eius tam odioso ordine composuerit, inde perfidiam eius dilucidissime apparere.

Sed praemissis his de scriptorum fide accedamus ad singulas leges. Legem frumentariam in priore tribunatu latam esse scriptores in ceteris rebus prorsus dissentientes plane congruunt. Valde etiam verisimile est C. Gracchum, in cuius animo fuit legibus suis et plebem sibi conciliare et optimatium opes infringere, a plebe urbana initium fecisse, quippe quae iam cum Tiberio fratre intime coniuncta esset. Haec autem lex, qua Gaius et universam plebem et colonos maxime respexisse videtur, ut vel minimo pretio semen colonis necessarium parari posset — vid. Goettling. p. 444 — a veteribus vehementissime vituperatur. Acerrime Gaio legem ferenti Calpurnius Piso restitit. Rogavit autem Gaius hac lege, ut plebi singulis mensibus vili pretio frumenti certus modus ex horreis publicis daretur; vid. Liv. 60: legem frumentariam tulit, ut senis et triente frumentum plebi daretur; Cicer. pro Sest. 25, 55. Non potest negari senatum et antea aut inopia urgente aut civitate frumento abundante pauperibus frumentum minimo vendidisse. Tum vero plebs singulis mensibus frumentum ut ius sibi debitum vindicare poterat. Hanc ob causam haec lex ut infesta reipublicae damnabatur; vid. Cic. de offic. II, 21, 72: ‚C. Gracchi frumentaria magna largitio: exhauriebat igitur aerarium: modica M. Octavii et rei publicae tolerabilis et plebi necessaria: ergo et civibus et rei publicae salutaris;' vid. Cic. pro Sest. 48, 103: ‚Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. Iucunda res plebi: victus enim suppeditabatur large sine labore. Repugnabant boni, quod et ab industria plebem ad desidiam avocari putabant et aerarium exhauriri videbatur;' vid. etiam bellam narrationem illam apud Cic. in Tuscul. disput. III. 20, 48: ‚Et quidem C. Gracchus, quum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium, verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, quum facta videam? L. Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiundum venerat. Animum advertit Gracchus in contione Pisonem stantem: quaerit audiente populo Romano qui sibi constet, quum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat, sed si facias, partem petam. Parumne declaravit vir gravis et sapiens lege Sempronia patrimonium publicum dissipari?' Quamquam hic vir gravis et sapiens aerarium publicum dissipari vidit, tamen, qua erat avaritia — quod fuit commune omnium fere Romanorum vitium — eum non puduit, quum etiam suam partem largitionis

vindicaret, magis etiam aerarium publicum dissipare. Apparet autem ex hac narratione, quod nos mirabimur, etiam summis et divitissimis hominibus licuisse ex lege frumentaria utilitatem percipere. Non possumus sane negare duo quae contra hanc legem proferuntur vitia vere in ea infuisse; primum plebs, quum sic publice victum sibi parari videret, ab industria ad desidiam avocata est, deinde quum hac victus facilitate in dies maior numerus hominum nequissimorum et desidiosorum Romam conflueret, seditionum materia aucta otium et tranquillitas ibi evanescere coeperunt. Ne hoc quidem potest negari hoc ingenti onere aerario imposito opes imperii valde deminutas esse, ut quum periculosa instarent tempora aerario impensis minime necessariis exhausto summa inopia reipublicae metuenda esset. Maxime autem hac lege senatum offendit, quod iam comitiis tributis de aerario imperiique opibus decerni coeptum est, quum antea harum rerum potestas solius fuisset senatus. Quomodo autem factum est ut Gaius, quamquam tot iniquitates inerant in lege, quas eum, quo fuit mentis acumine, non effugisse verisimile est, nihilo minus ad eam ferendam impulsus sit? Omnium primum tenendum est C. Gracchum, quum lege inopiae plebis mederi vellet, ipsa rerum necessitate inductum esse. Legimus enim apud Livium 60 et apud Orosium libr. V. cap. 11. ingentem locustarum vim illo tempore Africam devastasse, quarum interitu infectioneque horrendam et inauditam pestilentiam ortam esse. Hanc autem pestilentiam fames secuta est, qua plebis inopia adeo aucta est ut, nisi praesentia adhiberentur medicamenta, summum discrimen instaret. Tum Gracchus, qua fuit humanitate et misericordia, hac lege plebi miserae succurrere studebat. Sed concedimus ita hanc legem non posse excusari, quod eam non in breve tempus, sed in perpetuum, non singulis civibus inopibus, sed omnibus latam esse vidimus. Neque ea nobis probantur quae alii ad excusationem Gai protulerunt dicentes Gaium hac lege multos ex agris in urbem excitare voluisse, ut plebis urbanae multitudo novis et incorruptis partibus iniunctis transformaretur et emendaretur; non potuit enim eum fugere, hac plebis accessione non corruptam eius partem, quippe quae maior esset, corrigi, sed plebem rusticam quoque antea integram, quum urbis deliciis et vitiis assuevisset, cum turba urbana in unum corpus coalescere prorsus corruptum. Contra scriptores gravissimi Gaium hac lege longe aliud spectavisse dicunt. Sic Mommsenius II. p. 99 scribit Gracchum plebe urbana plane sibi devincta opes suas augere voluisse; etenim plebi rusticae, cuius auxilium, quum raro in urbem conveniret, incertum esset, minime confidendum fuisse. Ab hoc autem legis agrariae beneficio quum omnes cives extra urbem viventes excluderentur, magnam egenorum civium multitudinem Romam convenisse. Sic plebem inopem, quae antea omnibus in rebus in optimatium potestate fuisset, solum ducis plebis nutum sequi coactam esse; novum igitur reipublicae principem plebem urbanam quasi cohortem suam praetoriam habuisse. Hanc sententiam is tantum sequetur qui Mommsenio consentit dicenti Gaium sublatis universis reipublicae institutis ipsum se ducem et principem reddere voluisse; hoc autem a tota Gai natura abhorrere omnesque eius actiones quam maxime ab eiusmodi voluntate dissidere iam supra exposuimus. Ex Ciceronis verbis in Tusc. disput. III, 20, 48: ‚Lege orationes Gai, patronum aerarii esse dices', videmus ipsum

Gaium civibus consilium suum de re frumentaria exposuisse et opprobria adversariorum refutasse; quarum orationum nihil nobis remansisse eo magis dolemus, quod ne nos quidem negare possumus permulta esse quae huic legi recte opponi possint. Hoc nobis constare videtur, si Gaio contigisset ut novus in republica ordo constitueretur, quo totum fere eius fundamentum niteretur, cum etiam huius legis incommoda sublaturum fuisse; etenim hoc semper nobis tenendum videtur Gracchum potuisse quidem errare et actiones perferre reipublicae infestas, nunquam autem hoc voluisse. Ne id quidem concedimus eum, dummodo adversarios ulcisceretur, consulto rogationem tulisse reipublicae infestam; immo omnes eius actiones ad salutem populi spectabant, ad quam quidem stabiliendam ipse longe alia via atque optimates perveniri existimabat.

Sed quum ad fines nobis constitutos pervenerimus, ceteras Gai actiones publicas usque ad miserabilem eius exitum alia oblata occasione persequemur, ut dissertatio nostra de Gracchis quarta parte absolvatur. Nihil aliud iam superest nisi ut, qui haec legent, eos qua par est reverentia oremus ut, si quid in singulis rebus minus accurate scriptum videatur, huius rei nobis bonam veniam dent. Scripsimus enim hanc commentationem tempore turbulentissimo animique habitu ad tractandas eiusmodi quaestiones minime accommodato, quum undique trepidi belli rumores nos circumsonarent armorumque strepitus in dies magis nobis instaret. Hoc armorum autem tumultu eo maiore tristitia afficimur, quod bello omnium funestissimo in eadem terra nati, eadem lingua loquentes, iisdem moribus et institutis usi infestis telis invicem se petunt. Faxit Deus Optimus Maximus ut, quoniam carissima patria nostra hac calamitate afflicta est, ex hac sanguinis lacrymarumque quasi segete fructus efflorescant laetissimi! Utinam patria nostra gravibus dissensionibus bellisque civilibus identidem vehementissime agitata et perculsa ad eam omnium partium concordiam tandem perveniat, quam quicunque patriam vere amant iam diu ardentissime desiderant!



SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO CURIENSI

D. VII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXVIIII.

RITE CELEBRANDA

COLLEGARUM NOMINE

INDICIT

JOHANNES SOERGEL,

GYMNASII PROFESSOR.

INEST DE TIBERIO ET GAIO GRACCHIS COMMENTATIONIS PARTICULA IV.

CURIAE REGNITIANAE.
TYPIS MINTZELIANIS CAR. HOERMANNI.
A. MDCCCLXVIIII.

Tiberius et Gaius Gracchi tribuni plebis in praestantissimis civitatis Romanae viris fuerunt, quorum vita et fortuna legentium animi semper vehementissime commoti sunt. De quorum factis et consiliis, quae ad commutandam reipublicae Romanae formam maximi momenti fuisse nemo negat, quum et veterum et recentiorum scriptorum iudicia valde inter se discrepent, hanc totam quaestionem denuo pertractare instituimus. Propositis autem iam Erlangae tribus commentationis de Gracchis particulis nunc ad quartam accedamus, qua adiecta nobis hanc disputationem videmur absolvisse.

Tertia commentationis nostrae parte singulas Gai leges percensere coepimus. De ordine legum ab eo latarum scriptores non minus inter se dissentire quam de tempore, quo sint latae, vidimus. Quum plerique scriptores plurimas et gravissimas Gai leges iam in primo tribunatu perlatas esse referant, Appianus primum tribunatum sola lege frumentaria insignem fuisse prodit, ceteras omnes altero demum tribunatu promulgatas esse. Qua quidem in re cur Appianum, quem in ceteris rebus et nos non minus quam Nitzschius optimum ducem putamus, non sequamur, in tertia commentationis nostrae parte latius exposuimus. Singularum legum quas tulit Gaius ordinem constituere neque possumus neque attinet: hoc quidem constat gravissimas et ad permutandam reipublicae formam aptissimas fuisse legem agrariam, frumentariam, iudiciariam, de coloniis deducendis, de civitate Latinis et sociis danda. Has leges non casu et forte esse latas, sed communi quodam vinculo inter se connexas fuisse et id spectasse, ut fractis senatorum opibus ipsa respublica mutaretur, non potest sane negari. Nihilo minus autem Mommsenio imperium quod Gaius parere sibi voluerit Napoleontis imperii simile fuisse affirmanti assentiri non possumus: hoc sine vi fieri non posse Gaium, quo fuit ingenii acumine, fugere non potuit; atque a vi et violentis factis Gai animum semper alienissimum fuisse postea videbimus. Primam autem legem frumentariam tulisse videtur; de qua quid ipsi veteres iudicaverint et quid nobis iudicandum videatur, quum iam superiore commentationis parte exposuerimus, nunc ad ceteras Gai leges transeamus.

Legem agrariam a Tiberio perlatam esse constat; sed Gaio quoque lex agraria attribuitur. Iam antea vidimus maximas difficultates de agris dividendis exortas esse, quum senatoribus huic legi summis viribus resistentibus se applicarent socii, qui et ipsi multos agros publicos occupaverant et tum ne iis a triumviris agris dividendis privarentur metuebant. Hi Scipionem ut patronum suum adierant. Ejus autem opera factum

est, ut qui ager esset publicus, qui privatus non triumviri decernerent, sed alter consul. Sic agrorum divisio iam antea multis difficultatibus impedita paulatim remittere coepit; abrogata vero Tiberii lex agraria non est. Qualis autem Gai lex agraria fuerit et quid voluerit difficile est ad dicendum. Cicero multis quidem locis de ea loquitur neque vero quae legis summa fuerit ex verbis eius apparet; Plutarchus in Gai vita cap. 5 breviter eam attingit, Appianus plane silentio praetermittit. Quatenus Velleius fide dignus sit, inde cognoscitur, quod legem agrariam a Tiberio latam attribuit Gaio. Sic quum auctores in incerto nos relinquant, mihi quidem Mommsenio videtur consentiendum esse, qui Gaium hac lege nihil aliud putat efficere voluisse, nisi ut iurisdictio triumviris agris dividendis restitueretur. Lege frumentaria Gaius inopibus civibus consuluerat; et cum alia lege etiam sociis civitatem Romanam proponeret, magna plebis rusticae pars in Urbem vocata est, quod facilem ibi victum inopiae rusticae praeferebant. Sic igitur factum est, ut socii et Latini Gai legi minus resisterent quam antea. Gaius autem speravisse videtur rusticos multis hominibus perditis et desidibus in Urbem confluentibus quasi gravi onere liberatos firmum postea civitatis Romanae fundamentum fore. Quod Gaius statuerat, ut qui agros publicos possiderent stipendium inde solverent, lege Livia sublatum est, qua colonis mittendis ager immunis datus est. Deinde iam Tiberium lege cavisse constat, ne ager publicus assignatus venderetur. Hac quoque lege paulo post Gai mortem abrogata brevi tempore agri emptione in divitum manus redierunt. Lex agraria a multis scriptoribus, qui neutiquam in Gai laudatoribus sunt, comprobatur. Arctissime eam cum lege de coloniis deducendis cohaerere apparet; vid. Liv. LX. Orosius V, 12 legem agrariam vel maxime Gai mortis in culpa fuisse scribit.

Omnium autem Gai rogationum gravissima fuit lex iudiciaria, qua senatorum ira et exacerbatio adeo in eum mota est, ut solo eius sanguine satiarentur. Quodsi Gaius lege frumentaria, ut optimates ei exprobraverunt, aerarium exhauriebat, hoc minus aegre tulerunt, quam quod hac potissimum lege potestatem eorum in administrando et iudicando maxime nixam sustulit et sic ictum iis inflixit infestissimum. Impulsus autem videtur Gaius ne ad hanc quidem legem sola cupiditate et senatorum odio, sed manifesta eorum in rebus iudicandis perfidia et studio equites a senatoribus distrahendi sibique conciliandi. Sed quae huius legis fuerit vis et voluntas, accuratius nobis inquirendum est.

Plutarchus in Gai vita c. 5 haec scribit: *τῷ δικαστικῷ νόμῳ τὸ πλεῖστον ἀπέκοψε τῆς τῶν συγκλητικῶν δυνάμεως. μόνοι γὰρ ἔκριναν τὰς δίκας καὶ διὰ τοῦτο φοβεροὶ τῷ τε δήμῳ καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ἦσαν, ὁ δὲ τριακοσίους τῶν ἱππέων προςκατέλεξεν αὐτοῖς οὖσι τριακοσίοις καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἑξακοσίων ἐποίησε.* In Liv. epit. libr. LX. haec legimus: tulit legem iudiciariam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet, ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur, et quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur; id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet. Livio igitur si fidem habemus, statuendum nobis est hos sexcentos equites in senatum esse receptos, ita ut ille iam nongentos haberet senatores, qua re tota reipublicae forma plane permutata esset; vid. Goettlingi librum, qui inscribitur Geschichte der röm. Staatsverfassung, p. 437. Plutarchi narrationem a Livio prorsus differre manifestum est; ille enim aequationem ordi-

nis senatorii et equestris in rebus iudicandis a Gaio factam esse refert. At multi alii scriptores contrarium dicunt, ut Velleius II, 6: iudicia a senatu transferebat ad equites. Tacitus in annalibus XII, 60 Semproniis rogationibus equestrem ordinem in possessione iudiciorum locatum esse scribit. Copiosissime Appianus I, 22 rem tractat. Huius haec fere verba sunt: ut Gaius plebem lege frumentaria sibi quasi addictam fecerat, ita equites, qui dignitate inter senatum et plebem medii sunt, hac rogatione in suas partes transtulit. Iudicia, quae propter corruptionem infamia erant, a senatoribus ad equites transtulit, opprobrio iis vertens quae proximo maxime tempore peccaverant, quod Aurelius Cotta et Salinator et praeter eos M' Aquilius, quamquam eos corruptos esse apparebat, tamen a iudicibus liberati erant. Horum flagitiorum infamia se premi quum ipse senatus intelligeret, legi non restitit, ita ut populus eam sanciret. Sic igitur iudicia a senatu ad equites translata sunt. Atque Gracchus ipse hac lege adeo senatus auctoritatem deminutam esse putavit, ut eum vel totum exstinctum diceret. Haec Gai vox postea rebus ipsis probata est. Quum enim iam Romanis et omnibus Italis et senatoribus ipsis equites ius dicerent, senatores equitibus obnoxii et subiecti, equites senatorum quasi domini facti sunt. Sic autem tanta universae reipublicae mutatio facta est, ut senatores nihil retinerent nisi dignitatem, omnis auctoritas et potentia transiret ad equites. Brevi autem equites in iure dicendo adeo omnibus corruptelis patebant, ut eorum iudicia multo magis diffamarentur quam antea senatorum. Florus III, 12 haec scribit: unde iudiciariis legibus divulsus ab senatu eques nisi ex avaritia, ut vectigalia reipublicae atque ipsa iudicia in quaestu haberentur? Idem III, 17 haec: iudiciaria lege Gracchi diviserant populum Romanum et bicipitem ex una fecerant civitatem. Quum tam certa veterum testimonia confirment iudiciis ad equites translatis hos duos ordines divulsos esse, non possumus statuere admixtos tantum esse senatoribus equites; immo senatores iudiciis plane exclusi sunt. Goettlingius quidem demonstrare conatur Livii verba probari posse, si verba in senatu, quae in bono quodam codice desint, tolluntur. Quae si ita sunt, trecentis iudicibus ex ordine senatorio sexcenti ex ordine equestri additi sunt. Sed Ciceronis et Taciti dicta de translatis ab ordine senatorio ad equestrem iudiciis tam certa sunt, ut ne haec quidem interpretatio locum habeat. Hos autem equites, ad quos iam iudicia translata sunt, fuisse publicanos solos, non omnes iuvenes equitum centuriis adscriptos recte monet Peter p. 149 eius libri, qui inscriptus est: Die Epochen der Verfassungsgeschichte der römischen Republik. Etenim iuvenes equites etiam postea a senatus partibus stetisse et acerrimos optimatium defensores fuisse videbimus.

Gai legem iudiciariam multi scriptores toti reipublicae perniciosissimam fuisse putant. Exprobratur Gaio quod sic bicipitem civitatem fecit; itaque haec lex discordiarum civilium fons dicitur. Idem Plinius quoque in hist. nat. XXXIII, 8 iudicat: Iudicum autem appellatione separari eum ordinem primi omnium instituere Gracchi discordi popularitate in contumeliam senatus: mox ea debellata auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substituit et aliquamdiu tertiae vires publicani fuere. Non potest sane negari hac lege rempublicam in duas quasi partes distractam esse. Senatum opibus et potentia sua male uti Gaio penitus infixum erat; quo odio patres in eum flagrabant, eodem et illos oderat. Quam ob rem quovis pretio principes loco suo quem male obtinebant depellere studebat.

Senatus a maiestate illa, quae superiore tempore omnibus summae admirationi fuit, ita erat delapsus, ut vilis factionis instar totam rempublicam suam putaret provinciam, quae omni modo diripienda esset. Postpositis reipublicae rationibus suis commodis solis inserviebat. His sordidis senatorum cupiditatibus Gaius, qui quo ardebat patriae amore sua commoda omnia saluti publicae postposuit, vehementissime exacerbatus est. Itaque hunc pestiferum ordinem quovis pretio evertere studuit neque vero, ut ait Mommsenius, vel si tota respublica interiret. Non negamus quidem impotentem Gai animum eodem fervore odisse quam amasse; sed fore ut magna ex lege sua reipublicae pericula emanarent non potuit praevidere. Videtur enim pro certo exploratoque habuisse optimates si qua coepissent via progrederentur omnem rempublicam perdituros esse; itaque subversa illorum potentia aliud civitati subiicere firmamentum voluit, quod ideo melius fore putavit, quia peius succedere non potuit. Sane tota Romanorum respublica adeo iam erat infecta, ut ne ea quidem quam Gaius adhibuit medela quidquam prodesset. Sic quum aegra civitas iam non posset sanari, malum malo successit. Ita quidem respublica perturbata est. At quis medico corpus gravi morbo afflictum curare conanti hoc ipsum exprobraverit, quod membro aegro medicamina adhibuit? Sane aegrotus mortuus est; sed quis contenderit medicamenta in culpa fuisse? Si quis hominibus corruptis, qui suis tantum commodis consulentes rempublicam perdunt, adversatus fuerit, quis certamina inde orta vel si totam rempublicam pessundant ei crimini vertat? Nempe boni illi cives aegre ferebant, quod imperium suum antea paene infinitum Gai rogationibus imminutum esset. Nulla sane exsistit discordia, si in ea republica, in qua singuli contra ius et fas omnia sibi arripiunt, cetera multitudo gregis instar omnia aequo animo fert. At si quis sancto studio impulsus laboranti patriae succurrendi iniustis improborum hominum postulatis adversatur, tum queruntur hi boni viri de hominibus seditiosis, qui civitatis otium et tranquillitatem perturbent, quum nihil aliud quam naturae rationisque iura defendant. Si vel iustissimis rogationibus sordidae rationes opponuntur, hominem natura ferventem non eam semper quam par est praestare moderationem quis potest mirari? Sed transeamus iam ad ceteras Gai leges, quas quum scriptores perpauca de iis reliquerint brevius persequemur.

Quae priore, quae altero tribunatu latae sint, non potest, ut iam supra diximus, decerni. Hoc quidem constat Gaium iam his quas memoravimus legibus summum plebis favorem sibi peperisse, ut eius potestas in republica esset paene infinita. Optimatium inde odium non minus auctum est quam metus. Alterum autem tribunatum non ipse petiit, sed creatus est lege paulo ante lata, ut si candidati ad supplendum tribunorum numerum non sufficerent, liceret plebi eos qui ad iustum numerum deessent ex superioris anni tribunis supplere. Haec lex post legem Papiriam de reficiendis tribunis plebis lata esse videtur. Papirii enim lex, qua rogatum est, ut eundem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret, dissuadente P. Africano abrogata est. Praeter Gaium etiam Fulvius Flaccus tribunus factus erat, qui quum iam consul fuisset pessimo exemplo tribunatum petierat. Hic autem homo, qui iam in triumviris agris dividendis fuerat, qui frustra legem de civitate sociis Italicis danda tulerat, in acerrimis senatorum inimicis fuit. Huius opera Gaio multo magis obfuit quam profuit, quum impotentibus cupiditatibus et consiliis sua commoda, non patriae salutem spectantibus ipse adversariis maxima tela praeberet. Quanta autem Gai auctoritas et favor apud plebem fuerit inde maxime potest cognosci, quod eius consilio solo C. Fannius consul creatus est. Dixerat enim petere se pro multis beneficiis quae in plebem contulisset unam gratiam; plebs autem putaverat ipsum petere consulatum, neque dubium est quin creatus esset. At Gaius ut Fannium facerent consulem rogaverat. Huius beneficii mala ei a Fannio relata gratia est; is enim statim post initum consulatum optimatium partes sequi et Gai consiliis resistere coepit.

Jam autem quum Gaius iterum tribunus plebis creatus esset consilia sua exsequi coepit, quibus senatorum opes frangerentur. Memorabile est quantopere summorum virorum sententiae de Gai voluntate iudicantium inter se dissideant. Quum Nitzschius Gaium minorem quam fratrem constantiam in actionibus publicis praestitisse putet, saepe aliorum impulsu et animi impotentia quasi invitum et necessitate quadam naturae ad facta interitum sibi paratura abreptum esse, Mommsenius eum summa prudentia fuisse dicit, qui omnia facta sua ad certum quoddam consilium direxerit. Quum autem et vero patriae amore incensus laboranti reipublicae succurrere, et acerrimo senatorum odio stimulatus huius ordinis potentiam quovis pretio tollere vellet, factum esse, ut leges eius partim reipublicae salutarissimae, partim perniciosissimae essent. Memorantur autem praeter eas leges de quibus disputavimus etiam hae quae iam sequuntur. Antea senatus arbitrio permittebatur potestas decernendi, in quas provincias consules deposito magistratu decederent. Consules sortiebantur de provinciis nisi inter eos convenerat. Patribus ita magna potestas data erat: poterant enim, prout magistratibus aut favebant aut invidebant, provincias iis decernere aut gratissimas aut perdifficiles. Gai autem lege sancitum est, ut provinciae consulares ante comitia consularia, priusquam igitur qui futuri essent consules sciri posset, a patribus constituerentur; vid. Sallust. Jug. 27. Item cavisse videtur, ne provinciae a senatu prorogarentur; vid. Goettlingi p. 441. Inde hoc satis apparet eos erravisse qui hanc legem Gaium senatui gratificatum esse putaverint, ut eius odium leniret lege iudiciaria sibi conflatum. Etenim etiam hac lege senatorum iura ad administrandam rempublicam pertinentia coercuit, etiamsi non plane sustulit. Idem legem promulgavisse videtur, ut ex confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur. Haec lex, quae non est perlata, id spectavisse videtur, ne comitiis centuriatis semper princeps classis tribus praerogativae prima suffragia ferret; vid. de hac rogatione Goettlingi p. 441 et Peterum maxime, qui p. 150 accuratius de ea disseruit.

Neque vero inopi tantum plebi subvenire patrumque opes frangere voluit Gaius, sed etiam severam maiorum disciplinam temperare et tolerabiliorem reddere. Videtur enim legem renovasse vel stabilivisse, ne quis infra septemdecim annos conscriberetur, simulque stipendiorum numerum minuisse. Idem Plutarchus, qui in Gai vita c. 5 huius legis militaris mentionem fert, addit eum statuisse ut militibus vestitus praeberetur, quum antea sumptus in vestitum factus militibus de stipendio detraheretur. Quod apud Mommsenium legitur Gaium hominibus obaeratis spem proposuisse fore ut aes alienum vel minueretur vel iis plane condonaretur, nobis locupletium testium auctoritate carere videtur. Deinde hoc quidem constat a Gaio de locandis Asiae vectigalibus legem latam esse, quum antea omnia ea, quae ad provincias et universam reipublicae administrationem pertinebant, senatus arbitrio gererentur. Huius Gai legis mentionem facit Cicero Verr. II, 3, 6: Asiae censoria locatio constituta est lege Sempronia, idemque ad Attic. I, 17, 9. Etiam Vellei

verba II, 6 nova constituebat portoria huc referenda esse videntur; vid. praeterea Gell. XI, 10 et Frontonis fragmentum: Gracchus locabat Asiam. Hanc legem plebi et equitibus commodam fuisse certum est; utrum autem Goettlingi sententia probanda sit Gaium hac lege Asianis concessisse putantis ut ipsi conducerent vectigalia provinciae suae, an Mommseni, qui universae provinciae vectigalia Romae locata esse statuit, quare provinciales quominus ipsi conductioni interessent plane impeditos esse, in tanta scriptorum hanc rem attingentium obscuritate haud facile potest decerni.

Multo gravior autem his legibus, quas modo memoravimus, Gai fuit rogatio de civitate sociis danda. Renovata igitur est Fulvii Flacci collegae lex, quam is consul nonnullis annis antea frustra tulerat. Quae hac de lege apud singulos scriptores legimus haec sunt: Plutarchus in Gai vita c. 5 eum hac lege Italis idem suffragii ius dare voluisse scribit, quo cives uterentur; idemque c. 8 eum Latinos ad societatem civitatis vocasse dicit. Vellei Paterculi haec sunt verba II, 6: dabat civitatem omnibus Italicis, extendebat eam paene usque Alpis. Accuratissime hanc rogationem Appianus persequitur; is I, 21 scribit spectavisse Gaium ut omnes socii, qui de dividendis agris publicis maxime resisterent, in civitatem Romanam reciperentur, ne maiore beneficio devincti legi agrariae repugnarent. Italicos autem libenter hoc accepisse, quippe qui agris praeferrent civitatem. Apud eundem I, 23 haec legimus: Latinos ad omnia civium iura adhortatus est, cum senatum non deceret consanguineis resistere: ceteros socios autem, quibus suffragia inire non licebat, in futurum hoc iure donare voluit, ut sic eorum suffragia ad rogationes a se ferendas sibi pararet.

Iam Tiberium eiusmodi legem animo agitasse fertur, qua reipublicae Romanae forma plane mutaretur. Ut Gaius lege iudiciaria equites a senatoribus distraxerat sibique conciliaverat, ita hac lege socios ad suas partes traducere studuit. Eadem autem lege senatoribus adversatus est, quos Sallustius de bell. Jugurth. 42 modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ivisse scribit. Hac Gai rogatione vel maxime perturbatos senatores consulibus mandavisse, ut omnes peregrini, qui civitatem non haberent, Urbe relegarentur, tradit Appianus c. 23. Senatui autem comitem se applicavit ipsa plebs urbana, quae non minus hanc legem repudiavit. Nolebat enim haec hominum nequissimorum colluvies commoda e civitate sibi emanantia cum compluribus communicare. Rempublicam Romanam nisi nova ei subiecta forent fundamenta diutius stare non posse vidit Gaius. Quid autem aequius fuit quam ut ii, qui omnibus bellis interessent, omnia onera communiter ferrent, etiam in civitatem reciperentur? Sed ortum est amplificato sic civium numero malum ingens. Ita enim factum est, ut civium multitudo per totam Italiam dispersa esset. Quum autem comitia et legibus ferendis et magistratibus creandis Romae haberentur, parvus tantum civium numerus his actionibus publicis interesse potuit. Facilis in Urbe victus et deliciae urbanae magnam hominum perditorum vim eo coegerunt, penes quos haud raro gravissimarum rerum arbitrium fuit. Permirum videtur quod nemini veterum, ne iis quidem qui omne tempus et studium in rebus publicis consumpserunt, in hac summa rerum difficultate in mentem venit, numero civium tantopere aucto et per totam Italiam disperso fieri non posse, ut cives ad suffragia ineunda ipsi in Urbem venirent. Parvo autem numero civium in Urbe degentium gravissimas leges soli permittere quum et iniquum et

noxium esset, ratio erat excogitanda, qua hoc vitium tolli posset. Quo autem alio modo hoc effici potuit, nisi ut certus civium numerus legatum deligeret, qui Romae mandata a civibus accepta exsequeretur? Sed huius rationis apud nos in rebus publicis usitatae apud veteres ne vestigium quidem reperitur. Hanc Gai legem, cui et senatores et plebs coniunctis viribus adversabantur, non potuisse perferri non est mirum. Gaium etiam legem de coloniis deducendis tulisse a variis scriptoribus affertur, sed de summa et vi eius plane inter se discrepant auctores. Et Plutarchus quidem c. 8. scribit Gaium ut plebem contra optimatium inimicitiam sibi conciliaret colonias Tarentum et Capuam misisse. Appianus c. 23 nihil aliud dicit nisi Gaium multas colonias deduxisse; cum Appiano Vellei verba congruunt novis coloniis eum replevisse provincias dicentis II, 6. Apud Livium haec legimus libr. LX.: legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur, et una in solo dirutae Carthaginis; quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit. Quod Gaius primus lege plebem urbanam in provincias transmarinas ablegavit Mommsenius reipublicae Romanae maximi momenti fuisse dicit. Sed haec ipsa lex de coloniis deducendis senatoribus ansam praebuit improbis machinationibus mutabilem plebem sibi conciliandi et Gaium tollendi. Difficile quidem erat Gaium, qui multis legibus utilissimis de multitudine optime meruerat et incredibili quadam industria ingentem hominum multitudinem obnoxiam sibi fecerat, favore plebis privare. Gaius non modo multas leges tulerat sed ipse semper omnibus rebus quas tulerat intererat. Semper, inquit Plutarchus, honestam aliquam rogationem mente agitabat. Omnibus autem rebus, quas rogavit, ipse se custodem et administratorem praebebat neque unquam tot tantisque rebus ipse defuit sed mirabili prorsus celeritate et labore omnes singulas res administrandas curavit, ut etiam qui prorsus eum odissent admirarentur, cum viderent eius virtute omnia patrari et confici. Plebs autem ipso eius adspectu commovebatur pendentem ex eo videns multitudinem operarum, artificum, legatorum, imperatorum, philologorum, quibuscum omnibus summa facilitate versabatur, ita ut suum cuique tribuendo in severitate semper humanitatem praestaret. Sic eos improbos calumniatores esse demonstravit, qui ipsum metuendum, perfidum, violentum dixerant. Hac autem incredibili industria maiorem sibi paravit potentiam quam in rostris dicendi vi. Quantopere Gaius operam suam in omnes res impenderit inde etiam apparet quod summam curam in viis publicis per totam Italiam sternendis posuit; vid. Plut. c. 7. Etiam hac in re consilium illud senatorum opes frangendi persecutum est. Etenim non modo operae sed etiam conductores operum publicorum antea semper in senatus potestate fuerant, quippe cui tota reipublicae administratio dedita fuisset. Jam autem quum Gaius ipse omnibus negotiis gerendis praeesset, ingens hominum multitudo eum ut principem suum sequebatur. Infinita fere potestate tribunus plebis omnes res incredibili industria et singulari integritate curabat; viae autem ab eo stratae summa laude dignae fuerunt.

Sed iam optimates rem excogitaverant Gaio perniciosam futuram. Stimulaverunt enim unum ex tribunorum collegio, Livium Drusum, qui plebem obsequio et promissis alliceret et a Gaio abalienaret. Eadem igitur ratione usi sunt, qua in Tiberium usi fuerant, quum Octavium tribunum plebis stimulassent, ut intercessione legi agrariae repugnaret. Is Livius Drusus autem, quem non pudebat perfidis optimatium consiliis

contra collegam inservire, non solum genere et educatione in principibus fuit Romanis, sed etiam divitiis et eloquentiae laude florebat. Plutarchus c. 8 eum etiam *ἤθει τοῖς μάλιστα τιμωμένοις γενέσθαι* dicit, id quod paulo post rebus ipsis demonstravit. Conductus enim ab optimatibus est, qui Gaium impugnaret non adversando plebi sed omnia ei gratificando totumque tribunatum ad eius nutum et voluntatem gerendo. Plebs autem urbana, hominum colluvies desidia vel turpioribus etiam studiis in urbem confluentium, quum nihil spectaret nisi vilem panem et oblectamenta, per se varia et mutabilis tribuno, cui tam multa debebat, nihil firmitatis et praesidii praebuit. Quod Gaius ultimo vitae tempore expertus est turpissimam plebis urbanae inconstantiam et perfidiam, studia eius reipublicae aliud firmiusque fundamentum subiiciendi comprobanda fuisse satis demonstrat. Num sola illa multitudo quae vitam agebat desidiosam civitatis Romanae commodis digna fuit? Per totam Italiam dispersi erant permulti cives et socii et Latini, qui bellis exortis vita rempublicam protegebant, sanguinem profundere non dubitabant, quum merita commoda per iniuriam iis detraherentur iisque solis condonarentur, qui desides in urbe remanentes publice fere alebantur. Huic igitur iniustitiae, qua qui minime digni erant summis praemiis donabantur, finis erat faciendus simulque novum civium robur aegrae civitati admiscendum. Huic autem consilio civitati salutarissimo plebs urbana, quae sua iura cum aliis communicare nolebat quum rempublicam quasi praedam existimaret sibi obiectam, non minus acriter restitit quam optimates. Atque sic factum est, ut Gai collega, quamquam per fraudem eum agere apparebat, tamen brevi tempore maiore gratia et favore apud plebem frueretur. Is enim in rogationibus ferendis neque honestatem neque utilitatem publicam spectans nihil aliud egit nisi ut popularitate collegam superaret et plebi semper aliquid proponeret quod ei gratius et iucundius esset Gai rogationibus. Inde autem perspicuum est senatum non ideo Gaio adversatum esse, quod consilia eius reipublicae infesta putaret, sed sola suorum commodorum ratione ad tantum in Gaium furorem abreptum esse, ut illum quovis pretio tollere cuperet. Sic Gaium duas colonias rogantem et colonos eligentem homines honestos auram popularem affectare accusabant; Livium duodecim colonias constituentem et in singulas terna milia civium egentium conscribentem adiuvabant. Et quum Gaium, quod agrum hominibus divisisset, sed ita ut singuli tributum aerario solverent, odissent ut hominem multitudini adulantem, Livius, qui vel hoc tributum plebi remisit, iis probatus est. Gaius quum rogationem ferret ut etiam Latinis idem suffragiorum ius esset senatum valde offendit, Livius probantibus senatoribus tulit, ne quem Latinorum virgis caedere liceret ne in bellis quidem. Haec indigna Livii machinatio eo magis omnibus manifesta fuit, quod ipse palam professus est ferre se has rogationes senatu auctore. Nihilo minus autem plebs mutabilis et inconstans ei acclamavit atque eo dementiae processit ut ineptis Livii verbis senatui plebis salutem cordi esse affirmantis fidem haberet. Unum hoc ait Plutarchus ex Livii factis utile et salutare profectum esse, quod plebs antea optimatibus infestissima placaretur et leniretur. Atque tantam rerum mutationem factam esse, ut eadem plebs, quae antea nobilissimos senatores suspicione et odio persequeretur, ab hac invidia et inimicitia reducta sit. Livium enim speciem prae se tulisse se omnibus in rebus ex senatorum sententia rempublicam gerere et plebi gratum se praebere. Idem Gaio non fuisse utile et salutare nemo non intelligit. Gracchus igitur quum in plebe

spem poneret misere deceptus est. Et ipsum intellexisse verisimile est plebem et ratione et honestate pariter carentem facillime corrumpi; itaque ad equites et socios confugit existimans eos reipublicae multo firmius praebituros fundamentum quam perfidam et mobilem plebem. Haec autem plebs quantopere iam tum humilitate et indignitate prolapsa fuerit nihil certius est indicium, quam quod improbi hominis artibus Gaium Gracchum plebi omnia vel salutem et vitam condonantem aversata est! Quum Gaius singulari prorsus industria ipse omnibus rebus praeesset, Livius ut abstinentiam suam praestaret, neque coloniis deducendis ducem se praebuit neque pecuniarum administrationem gessit. Atque his artibus sordida plebs decepta est!

Maximo autem incommodo Gaio fuisse constat quod coloniae deducendae causa in Africam profectus aliquamdiu urbe abfuit. Et Plutarchus quidem refert a Rubrio tribuno plebis rogationem esse latam ut Carthaginem a Scipione dirutam colonia deduceretur, Gaium autem, cui haec provincia sorte obtigisset, eo profectum esse. Plane differunt ab hac narratione ea, quae Appianus prodit. Is enim dicit Gaium, quum Livii machinationibus plebis favore excidisset, simul cum Fulvio Flacco in Africam navigasse, quo propter soli fertilitatem coloniam mittendam esse placuisse. Hos ipsos autem duces coloniae creatos esse, ut iis absentibus senatus concitationibus tribuniciis requiesceret. Gaium non sorte sed comitiis conditorem coloniae esse designatum apparet; Fulvium Flaccum non in Africam secutum esse, sed in urbe remansisse Plutarchus narrat. Gaius autem novam coloniam in ipso solo Carthaginis a Scipione dirutae condidit, nihil curans quod Scipio solum exsecraverat. Hoc ipsum tempus, quo Gaius urbe aberat, Livius in criminationibus eius consumpsit, quibus plebem plane ab eo abalienaret sibique conciliaret. Maxime autem nocuit ei, quod Fulvius Flaccus socium omnium rerum se ei praebuit. In hunc veteres recriminationes de sociis ad bellum lacessitis renovatae sunt. Idemque non omni occisi Scipionis suspicione caruit. Omnia haec opprobria eo efficacius in eum congeri poterant, si, ut ait Appianus, et ipse in triumviris coloniae deducendae in Africa abfuit. Hac autem criminum infamia etiam Gaius adspersus est. Eum in constituenda colonia Junonia permultis difficultatibus divinitus missis conflictatum esse legimus. Quibus nihil deterritus rem coeptam confecit. Conscripsit autem sex milia colonorum, quum lege dimiduus tantum numerus constitutus esset. Ibi quum septuaginta dies urbe abfuisset, eo rediit cum aliis rebus ut celeriter in urbem rediret commotus tum nuntio allato Livii machinationibus Fulvium relictum vehementer vexari. Haec Plutarchus. Nos Appiano potius fidem habemus, qui Gaium cum Fulvio rediisse scribit, etsi non negamus utrumque iis quae interea Romae acciderant ut quam celerrime redirent commotum esse. Reversi autem ex universa Italia sex milia colonorum convocaverunt. Sed iam tanta in urbe mutatio malis optimatium artibus facta erat, ut Gaio extremum metuendum esset. Jam supra commemoravimus Gaium etiam in viis sternendis summam curam collocavisse. Dum ipse autem aberat, opera remitti coepta sunt; sic factum est, ut magnus operarum otiosorum numerus iu urbem conflueret, qui a Livio Druso facile corrupti sunt. Sed tribunorum quoque plerique, qui nimiam Gai auctoritatem suae dignitati officere aegre tulisse videntur, magis in senatus partes se inclinaverant. Minore periculo fuit quod et Fannius, quem sola Gai opera consulem factum esse legimus, in dies infensius ei resistere coepit. Pessime autem

accidit quod L. Opimius, qui anno ante consulatum petens Gai opera repulsam tulerat, se in proximum annum creatum iri summo iure sperare potuit. Is infestissimus cum popularium tum Gai adversarius fuit. Sed Gracchus nihil desperans inimicis fortissime resistere statuit. Statim quum in urbem rediisset domicilio mutato ex Palatio in forum migraverat, ut inter ipsam plebem habitaret, et alia conatus fuerat, quibus plebem senatoribus alienaret sibique reconciliaret. Quum Gaius et Fulvius colonos in Africam ducendos ex omni Italia convocarent, magnus hominum numerus Romam confluxerat. Jam autem Fannius consul ipse optimatium parti ducem se praebuit. De Fannii oratione ad hanc rem habita vid. Cic. Brut. 26, 99 et de orat. III, 47, 183. Qualis fuerit haec oratio ex hoc fragmento eius apparet, quod Julius Victor tradidit: Si Latinis civitatem dederitis, credo, existimatis, vos ita ut nunc consuestis, in contione habituros locum aut ludis et festis diebus interfuturos. Nonne illos omnia occupaturos putatis? Non igitur pudebat Fannium pessimas plebis cupiditates adversus Gai leges stimulare. Idemque patribus auctoribus edixerat ut omnes quicunque cives Romani non essent Urbe relegarentur. Huic consulis edicto Gaius restiterat sociosque in urbe remanentes se defensurum esse promiserat. Quum autem Fannius Gai intercessionem nihil curans omnes peregrinos urbe expelleret Gaius iis subvenire dubitavit; videtur enim metuisse, ne sic ipse certaminis signum daret. Ita autem magno sociorum numero privatus et magis magisque destitutus est. Optimatium vero audacia aucta est, quum malas artes suas ad corrumpendam plebem tam efficaces esse viderent. Plurimum eorum intererat ut proximi anni consules optimatium causae studiose faverent neque dubitarent Gracchanos vel vi opprimere. Itaque comitia consularia quam maxime accelerata sunt. Atque creati sunt L. Opimius, quem quum multis aliis causis tum repulsa superiore anno lata Gaio infestissimum fuisse scimus, et Q. Fabius Maximus, qui et ipse cum Gaio, a quo propter administratam Hispaniam provinciam vehementer vituperatus erat, palam inimicitias exercebat. Jam Gracchani quid a talibus consulibus sibi immineret, praevidere poterant. Haud multo post comitia tribunicia insecuta sunt. Ea quoque quam celerrime propterea instituta sunt, ne Gaio potestas esset magnum sociorum numerum, quos proposita civitate sibi conciliaverat, in urbem convocandi, quibus stipatus si necesse esset vim vi depellere posset. Plebs autem rustica Livii Drusi artibus corrupta a Gaio desciverat. Quod iam ad reconciliandum plebis favorem fecit, ad hanc rem nihil ei profuit, sed ipsorum collegarum invidiam contraxit. Erant enim ad ludos spectandos subsellia constituta, quae a magistratibus locata erant. Haec Gaius ut plebs libere spectare posset subverti jussit. Quod quum non fieret, ipse nocte spectaculis antecedente arcessitis operis subsellia demolitus est. Sic plebi quidem gladiatores spectandi facultas est data, sed collegarum animi vehementer in eum exacerbati sunt. Itaque factum est, ut eius collegae comitiis tribuniciis praesidentes et ipsi et Fulvio adversarentur multaque suffragia iis data per fraudem seponerent. Adversariorum irrisionem non patienter tulit sed respondit iis, ridere eos quidem, sed nescire quanta sibi tempestas inde cooriretur.

Jam autem quum Gaius homo privatus esset neque tribunatus maiestate defenderetur inimici infestioribus telis eum petere coeperunt. Etiam tum Gaius triumvir coloniae deducendae fuit. Adversariis variis artibus eum lacessentibus, si forte ad vim abriperetur, nullam eius rei potestatem praebuit, quamquam a sociis et Fulvio maxime instigatus est,

ut homines cogeret qui Opimio consuli resisterent. Tum instabat dies fatalis, quo et ipse pariter ut frater nefanda optimatium perfidia tristi leto occubuit. Ex nova quam Gaius in Africam deduxerat colonia multa prodigia Romam allata sunt. Lupos in coloniam irrupisse et terminos a triumviris positos demolitos esse. Quum ager ad coloniam destinatus a Scipione in perpetuum exsecratus esset, deos irasci clamitaverunt adversarii. Jam senatus per Minucium tribunum id egit, ut lex de colonia Carthaginem deducenda abrogaretur; vid. App. I, 24. Plutarchus narrat Opimium consulem tulisse, ut et haec et pleraeque Gai leges abrogarentur. Orosius V, 12 Minucium maxima ex parte decessoris sui Gracchi statuta convulsisse legesque abrogasse scribit. Idem apud Aurel. Vict. de vir. ill. 65 legimus. Verisimile est optimates primum quidem hanc Gai legem de colonia impugnasse, tum quum rem prospere cedere viderent ceteras quoque abolere conatos esse. Hac autem audacia Gaius et Fulvius adeo sunt offensi, ut ferarum ritu in forum provolarent quae patres de prodigiis ex Africa nuntiatis dicerent falsa esse clamitantes. Uterque audacissimis sociis circumfusus in Capitolium ascendere instituit, ubi de lege illa ageretur. In omnibus iis autem, quae iam sequuntur, neutiquam ita se gessit, ut consilia sua vel vi et caede patrare velle videretur. Itaque ne ea quidem quae de matre eius narrantur, eam homines conduxisse, quos messorum specie filio ad consilia per vim exsequenda in urbem mitteret, fide digna nobis videntur. Atrocis autem caedis illius, qua Gaius periit, tale est initium factum. Quum Fulvius qua solebat vehementia ad convocatam multitudinem verba faceret, Gaius a collegae ingenio alienissimus et multa consilia eius non probans cogitationibus gravissimis intentus secesserat exspectaturus quid futurum esset. Tum Antillius homo de plebe, qui forte in porticu sacrificabat, eum conspicatus manum ei iniecit, sive quid sciscitaturus ex eo, sive suspicione vel alia causa permotus, eumque ut patriae parceret rogavit. Haec Appianus; contra Plutarchus scribit quo die ad Gai leges abrogandas comitia habenda essent, eo ab utrisque partibus Capitolium occupatum esse. Jam quum Opimius consul sacra faceret, Q. Antillium lictorem Fulvii comites viris bonis cedere iussisse. Hoc quidem constat hunc Antillium, quum Gaius acerrime eum aspexisset, a comitibus eius vel stilo ad hanc rem praeparato, ut Plutarchus prodit, vel pugione ictum, ut Appianus refert, occisum esse. Hoc facinus invito et indignante Gaio factum iam signum caedis dedit. Multitudo perturbata dilapsa est. Gaius vehementer vituperavit auctorem facinoris, quippe qui adversariis exoptatam occasionem praebuisset vim vi depellendi, at Opimius laetitia exsultans socios suos ad ultionem stimulavit. Inde cognoscimus quid de optimatium dictis Opimium conservata republica, quae per Gaium in discrimine versaretur, optime meritum esse iudicandum sit. Id ipsum quod Gaius usque ad extremum tempus vim et sanguinem reformidavit, certissimum nobis indicium est Mommsenium eum per vim imperium sibi parare voluisse dicentem perverse de eo iudicasse. Insequenti nocte Gaius et Fulvius domos suas se receperunt uterque magna plebis caterva stipatus. Multitudo de nocte forum occupavit. Opimius, quum prima luce homines armatos in Capitolium misisset et senatum convocasset, ipse omnibus rebus intentus in Castoris et Pollucis templo vigilabat.

Hoc loco Plutarchus et Appianus rursus valde inter se discrepant. Appiano enim si fidem habemus Gaius iam insequenti die post Antillii caedem cum multis sociis impetu

ab optimatibus facto occisus est. Contra Plutarchus hunc diem paciscendo inter optimates et populares consumptum esse narrat. Sed Antillii caedes optimatium ut postea videbimus civium sanguinem tantopere reformidantium summam misericordiam excitavit, ut corpus mortui per forum cum lamentationibus ad curiam deferrent, ubi senatores Opimio duce, qui quamquam id ipsum eo auctore factum est tamen totius rei se ignarum esse simulavit, egressi factum gravissime luxerunt. Valde notanda est turpis optimatium simulatio qui Antillii caedem hominis obscuri non sine culpa ipsius interfecti ut atrocissimum scelus condemnaverunt, Tiberium Gracchum magistratum sacrosanctum cum multis innocentibus indignissime trucidare non dubitaverunt! Tum senatores in curiam regressi Opimio consuli mandaverunt ut videret ne quid respublica detrimenti caperet et ut tyrannos tolleret. Consul iam senatores ad arma vocavit et equitibus edixit, ut singuli binos servos armatos mane secum adducerent. Inde apparet iuvenes equites, quamquam lege iudiciaria ordinem equestrem a senatario divulsum esse legimus, in posterum quoque optimatium causae favisse. Fulvius quum hunc adversariorum apparatum videret et ipse multitudinem convocatam armavit, Gaius autem discessit a foro ad patris statuam eamque diu conspicatus nullo verbo edito suspirans et cum lacrimis abiit. Quales tum cogitationes animum huius iuvenis patriae amantissimi agitavisse videntur! Patri pro multis beneficiis in populum collatis statua posita erat, at filiorum alter iam erat absumptus indigna nece, alteri idem instabat fatum! Atque filii nihil aliud sibi proposuerant nisi ut maioribus digni et ipsi vitam in beneficiis populo dandis consumerent! Multi qui tum Gaium tali animi affectione patris statuae adstantem adspexerant summa misericordia commoti eum domum deduxerunt nocteque ante eius ianuam vigilaverunt. Quum Gai comites tristissima rerum futurarum exspectatione summum silentium obtinerent, Fulvius ipse cum caterva sua immoderatae convivii lasciviae se dedit et brevi vinolentus multa aetate et dignitate sua indigna admisit. Certissimum hoc testimonium est quanta fuerit horum hominum diversitas, quam contraria fuerint eorum consilia. Haec Plutarchus; apud Appianum, cuius narratio et in hac re ut in multis aliis nobis probabilior videtur, res in brevius contractae sunt neque est verisimile Opimium cui Antillii caede exoptata occasio data erat populares invadendi totum diem nihil agentem consumpsisse. Appianus autem narrat a senatu Gaium et Fulvium mane ad defensionem in curiam advocatos esse. Eos autem cum armatis clivum Aventinum occupasse sperantes eo praeoccupato facilius se cum senatu conventuros esse. Discurrentes eos vel servos ad libertatem convocasse, quorum neminem paruisse. Quo facto eos Quintum Flacci filium in curiam misisse, qui reconciliationem impetraret. Senatores autem eos depositis armis ipsos in curiam venire iusserunt et quae vellent exponere; legatum iterum mitti vetuerunt. Jam quum illi nihilo minus Quintum iterum legatum mitterent, Opimius eum, quippe qui iam non esset legatus, comprehendit, contra Gracchanos armatos immisit. Plutarchus diei fatalis casus longius exsequitur. Fulvium dicit hesterni diei vinolentia alto somno sopitum mane vix excitatum cum multis minationibus et clamoribus ad occupandum Aventinum caterva sua stipatum profectum esse, Gaium arma sumere recusantem togatum parvo pugione armatum in forum prodire instituisse. Ad ianuam autem uxorem, quae altera manu ipsum, altera infantem teneret, eum amplexam precibus et admonitionibus ab incepto retinere tentasse. Non ad rostra,

inquit, Gai, tribunum te dimitto ut antea et legislatorem neque ad bellum gloriosum, ubi tu, vel si quid passus esses, honestum mihi relinqueres luctum, sed Tiberii percussoribus ipse te obiicis inermem ut patiaris magis quam facias, sed nulla inde reipublicae utilitate redundante. Quum iam deterior causa vicerit, fortasse et ego fluvio aut mari supplicabo, ut mihi reddat corpus tuum. Gaius autem ab uxoris amplexibus liberatus silentio cum amicis procedere coepit. Tum uxor veste eius prehensa ad limen collapsa diu iacebat nullam vocem edens, dum a servulis ad Crassum fratrem ablata est. Quae Plutarchus iam de adolescente Fulvii filio legato misso refert, maxima ex parte cum Appiani narratione congruunt. Copiis ab Opimio missis nihil restiterunt Gracchani; Gaius ipse fugere conatus trans pontem sublicium in alteram ripam confugit uno comitante famulo. Ibi ne ab insequentibus comprehenderetur iugulum servulo porrexit transfigendum. Fulvius in ergastulum familiaris cuiusdam confugit. Quum autem insequentes in quam domum fugisset ignorantes totum angiportum se incensuros esse minarentur, familiaris ille his minis perculsus instigavit aliquem, qui Fulvii latebram proderet. Sic Flaccus comprehensus et occisus est. Avulsa autem Gai et Flacci capita ad Opimium delata et ab hoc auro expensa sunt. Plebs, scilicet ut gratum erga Gaium animum demonstraret, necatorum domus diripuit. Opimius iam Gai socios persecutus est; comprehensi in carcerem coniecti et strangulati sunt. Innocenti Flacci filio et iuventutis flore et ingenii suavitate decoro Opimius optimus patriae patrumque propugnator qua fuit liberalitate ut ipse sibi necem eligeret permisit. Quibus rebus praeclare gestis Urbem caede lustravit et senatus auctoritate in foro Concordiae templum exstruxit. Haec est Appiani de Gai caede narratio. Videamus iam quid ceteri scriptores de ea reliquerint. Copiosissime eam Plutarchus sic refert. Gaius ipse, inquit, a vi abhorrens in Dianae lucum fugit ibique quum ipse se interficere vellet a Pomponio et Licinio fidelissimis amicis quominus id faceret impeditus est. Horum impulsu quum profugeret, in genua collapsus manibusque sublatis diis supplicavit ut populus Romanus in poenam perfidiae et ingrati animi in perpetuum serviret. Impunitate enim a senatu proposita plerique sociorum palam ab eo defecerant.

Inimicos fugienti Gaio instantes duo amici sustinuerunt et ut illum conservarent ad pontem restiterunt, dum concisi sunt. Ex hac amicorum fide mortem pro Gaio oppetentium quantopere ille a suis amatus sit apparet. Gaium autem fugientem unus servulus comitabatur, cui nomen fuit Philocrates, quum cetera multitudo eum cohortaretur quidem, neque vero subveniret aut equum petenti praeberet instantium hostium metu. Tum in furiarum luco a Philocrate interficitur, qui Gaio occiso ipse sibi mortem conscivit. Alii autem utrumque ab insequentibus captos esse narrant, sed servulum tam arcte amplexum esse domini corpus, ut illo demum interfecto Gaius quoque occidi posset. Caput Gai ab alio abscissum a Septumuleio, Opimii amico, ad eum delatum esse, qui initio certaminis pronuntiaverat se Gai et Fulvii capita auro repensurum esse. Pro Gai autem capite, quod Septumuleius cerebro exempto plumbo expleverat, hunc aequum auri pondus accepisse, quum ii, qui Fulvii caput detulissent, — erant autem homines obscuri de plebe — nihil acciperent. Etiam in hac summa atrocitate igitur et crudelitate Opimius hominem perfidum se praestitit. Horum autem et aliorum interfectorum corpora ad tria milia in Ti-

berim deiecta sunt, bona eorum publicata. Et ut omnem crudelitatis modum excederent, Gai uxoris dos publicata, viduis uxoribus vel luctus interdictus est. Atque haec eadem plebs, quae virum optime de se meritum ignavissime prodiderat, postea vehementissime indignabatur, quod Opimius Concordiae templum exstruxisset. Haec Plutarchus. De Septumuleio vid. Cic. de orat. II, 67, 269: Scaevola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum, roganti, ut se in Asiam praefectum duceret: Quid tibi vis, inquit, insane? Tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Romae manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.

Apud Aurelium Victorem de vir. ill. 65 haec legimus: Gaius ab Opimio victus dum a templo Lunae desiliit talum intorsit et Pomponio amico apud portam Trigeminam P. Laetorio in ponte sublicio persequentibus resistente in lucum Furinae pervenit. Ibi vel sua, vel servi Eupori manu interfectus: caput a Septimuleio, amico *Gracchi*, ad Opimium relatum auro expensum fertur, propter avaritiam infuso plumbo gravius effectum. Orosius V, 12 haec scribit: Gracchus postquam in templum Minervae secesserat, gladio incumbere volens, interventu Laetorii retentus est. Itaque quum diu *anceps* bellum agitaretur, tandem sagittarii ab Opimio missi confertam multitudinem disturbaverunt. Duo Flacci pater filiusque quum per aedem Lunae in domum privatam desiluissent foresque obiecissent rescisso cratitio pariete confossi sunt. Gracchus diu pro se amicis pugnantibus ac pereuntibus aegre ad pontem sublicium pervenit: ibique ne vivus caperetur cervicem servo suo praebuit. Caput Gracchi excisum consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem Misenum oppidum devectum est. Bona Gracchi publicata sunt. Flaccus adolescens in robore necatus est. Ex factione Gracchi ducenti quinquaginta in Aventino caesi referuntur. Opimius consul sicut in bello fortis, ita in quaestione crudelis. Nam amplius quam tria milia hominum suppliciis necavit: ex quibus plurimi, ne dicta quidem causa, innocentes interfecti sunt.

Velleius Gai mortem sic narravit: Gaium L. Opimius morte adfecit. *Id unum nefarie ab Opimio proditum*, quod capitis non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum idque auro repensurum proposuit. Flaccus in Aventino armatus ac pugnam ciens cum filio maiore iugulatus est: Gracchus profugiens cum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo praebuit, qui non segnius se ipse interemit, quam domino succurrerat. Quo die singularis Pomponi equitis Romani in Gracchum fides fuit, qui more Coclitis sustentatis in ponte hostibus eius gladio se transfixit. Ut Ti. Gracchi antea corpus, ita Gai mira crudelitate victorum in Tiberim deiectum est.

Singularem Gai amicorum fidem etiam Valerius Maximus laudat IV, 2: Prostratis iam et perditis C. Gracchi consiliis rebusque, cum tota eius conspiratio late quaereretur, desertum omni auxilio duo tantum amici, Pomponius et Laetorius, ab infestis et undique ruentibus telis oppositu corporum suorum texerunt. Quorum Pomponius, quo is facilius evaderet, concitatum sequentium agmen in porta Trigemina aliquamdiu acerrima pugna inhibuit, nec vivus pelli potuit, sed multis confectus vulneribus transitum super cadaver suum iis, credo etiam post fata invitus, dedit. Laetorius autem in ponte sublicio constitit et eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritus sui saepsit, ac vi iam multitudinis

obrutus converso in se gladio celeri saltu profundum Tiberis petiit et amicitiam adiecta voluntaria morte praestitit.

In Flori epit. II, 3 haec legimus: C. Gracchus cum iam nimius et impotens altero tribunatu secunda plebe volitaret, obrogare auso legibus suis Minucio tribuno, fretus comitum manu fatale familiae suae Capitolium invasit inde proximorum caede depulsus cum se in Aventinum recepisset, inde quoque obvia senatus manu ab Opimio consule oppressus est, insultatum quoque mortis reliquiis, et illud sacrosanctum caput tribuni plebis percussoribus auro repensatum.

Haec nobis a veteribus scriptoribus de Gai caede relicta sunt. Nunc superest ut eorum iudicia de Opimio Gai percussore audiamus et quid nobis ipsis de hoc extremo tempore et universis Gai actionibus iudicandum videatur brevibus verbis comprehendamus. Jam ex Ciceronis de partit. orator. dialogo 30, 104 cognoscimus rhetores discipulis suis controversiam proponere solitos esse, iurene occiderit Opimius Gracchum. Videamus quid veteres scriptores ad hanc quaestionem responderint sive quomodo de Opimii facinore iudicaverint. Hac de re Cicero permultis locis loquitur. In Catil. I, 2, 4 laudat Opimii consulis virtutem et constantiam his verbis: Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet: nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus. Pro Mil. 30, 83 Opimium ita egisse dicit, ut etiam si ingrata res publica esset in gravi fortuna conscientia sua niteretur. In eadem oratione 3, 8 haec legimus: Non posset L. Opimius non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset. In Philipp. VIII, 4, 14 haec sunt: Quod L. Opimius consul verba fecit de re publica, de ea re ita censuerunt patres, uti L. Opimius consul rempublicam defenderet. Senatus haec verbis, Opimius armis. Num igitur eum, si tum esses, temerarium civem aut crudelem putares, aut alios summos viros, qui cum L. Opimio consule armati Gracchum in Aventinum persecuti sunt? In oratione pro Plancio 28, 69 et 29, 70 haec leguntur: Opimium damnatum esse commemoras, servatorem ipsum rei publicae. Opimii quidem calamitas utinam ex hominum memoria posset evelli! Vulnus illud rei publicae, dedecus huius imperii, turpitudo populi Romani, non iudicium putandum est. Quam enim illi iudices, si iudices et non parricidae patriae nominandi sunt, graviorem potuerunt rei publicae infligere securim, quam quum illum e civitate eiecerunt, qui praetor finitimo, consul domestico bello rem publicam liberarat? In eadem oratione 36, 88 L. Opimius, quo duce improbos cives res publica vicit armato, fortis vir dicitur. In Bruto 39, 128 haec inveniuntur: Civem praestantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolutum, quum is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt; vid. orat. Catil. I, 12, 29: Summi et clarissimi viri Saturnini et Gracchorum et Flaccorum et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt. Gracchos cum Saturnino et aliis turpissimis plebis concitatoribus vel cum Catilina comparare Cicero minime dubitat. Afferamus antea locum ex Auct. ad Herenn. IV, 22, 31, ubi haec legimus: C. Graccho similis quam fratri occisio est oblata, quae virum *rei publicae amantissimum* subito de sinu civitatis eripuit. In eodem autem Cicerone, qui tam acerbe de Gracchorum studiis iudicat, de leg. agrar II, 5, 10 haec sunt: Venit mihi in mentem, duos clarissimos, ingeniosissimos, amantissimos plebi Romanae viros, Ti. et C. Gracchos,

plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. Non sum autem ego is consul, qui, ut plerique, nefas esse arbitrer Gracchos laudare: quorum consiliis, sapientia, legibus multas esse video rei publicae partes constitutas.

Audiamus iam quid Sallustius in bell. Jugurth. 16 de Opimio, quem Cicero identidem effusissimis laudibus tulit, prodiderit: Legationis ad Jugurtham missae princeps fuit L. Opimius, homo clarus et tum in senatu potens, quia consul C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Jugurtha tametsi Romae in inimicis habuerat, tamen accuratissime recepit: dando et pollicendo multa perfecit, ut famae, fidei, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret.

Ciceronis iudicia ad hominum mores recte aestimandos persaepe nullius prorsus momenti esse hi loci quos attulimus gravissimo nobis documento sunt. Libenter concedimus orationes a caussidicis habitas non semper dirigendas esse ad veritatem et rerum fidem; sed caussidici quoque, siquidem nolunt inanes rabulae haberi, certis veritatis et aequitatis terminis circumscribuntur. Opimius ab Jugurtha turpissime corruptus iudicio patria eiectus est. Qua autem contumelia iudices, qui eum damnaverunt, obruti sunt? Num innocentem condemnaverunt? Minime; eo peccaverunt quod hominem manifesta culpa onustum non absolverunt! Cur autem absolvendus fuit? Quod, etiamsi turpissimo flagitio infamis fuit, antea egregie de re publica meritus erat. Culpa igitur meritis eius condonari debuit. Quae autem fuerunt haec merita? Tam acer optimatium propugnator fuit, ut vel atrocissimum scelus civem Romanum indigne interficiendi pro bona causa admittere non dubitaret! Qui sic loquitur is non potest postulare, ut sanae mentis homines iudicio ipsius aliquid tribuant! Videmus autem ex hoc exemplo quantopere caeco partium furore vel benevolorum hominum iudicia obscurentur. Cicero optimatibus vel senatui ita fuit deditus, ut quaecunque ab iis profecta essent comprobanda ei viderentur. Sic factum est, ut infandae Opimii crudelitatis nulla prorsus mentione facta id solum respicit, quod ille senatus causam contra populares defendit. Quomodo autem eam defenderit nihil curat. Opimii factum ideo maxime vehementissime improbandum est, quod Gaius illo tempore, quo optimatium impetus in eum factus est, a plebe et rustica et urbana plane fere destitutus neutiquam tantas opes habebat, ut vi agere et senatoribus periculosus fieri posset. Quod Gaius legato misso cum senatoribus pacisci conatus est documento nobis est eum ab vi abhorruisse. Quum autem optimates discordiam componere nolentes libentissime adversarios tollere cuperent, repudiatis omnibus conditionibus ut Gaius cum suis se in fidem ipsorum traderet postulaverunt. Id illum concedere non posse, nisi ipse se vita privare vellet, haud ignoraverunt. Inde apparet optimates huius caedis, quae perfacile evitari potuit, auctores fuisse. Haec autem culpa eo maior est, quod homines paene inermes sine ulla misericordia ab optimatibus trucidati sunt. Plebs enim in illo discrimine veram naturam suam apertissime demonstravit. Beneficia a Gaio sibi collata aequo animo acceperat, sed beneficiorum auctori gratiam esse referendam ei ne in mentem quidem venit. Quare postmodo plebi eam propugnatores suos turpissime deseruisse rectissime obiectum est; vid. Auct. ad Herenn. IV, 36, 48: Miramimi, Quirites, quod ab omnibus vestrae rationes deserantur? quod causam vestram nemo suscipiat? quod se nemo vestri defensorem profiteatur? Id tribuite vestrae culpae atque istud desinite mirari. Quid est enim, quare non omnes istam rem fugere ac vitare debeant? Recordamini, quos habueritis defensores; studia eorum vobis ante oculos proponite; deinde exitus omnium considerate. Tum vobis veniet in mentem, ut vere dicam, negligentia vestra sive ignavia potius illos omnes ante oculos vestros trucidatos esse, inimicos eorum vestris suffragiis in amplissimum locum pervenisse. Eadem plebis ignavia in defendendis propugnatoribus notatur ad Herenn. IV, 54, 67.

Etsi autem neque optimates neque plebem in caede Gai gravi culpa liberos esse putamus, tamen ne Gaium quidem plane absolvimus. Quod optimates vehementissime aggressus est non damus ei vitio; sed in eo nobis erravisse videtur, quod una corporis parte gravissimo morbo infecta ceteras integras mansisse putavit. Quod iudicia ab ordine senatorio ad equites transtulit senatores ipsi in culpa fuerunt, qui ordinem suum corruptione et omni iniustitia infamem reddiderant. Itaque minime poterant conqueri, quod iniuria sibi illata esset. Sed Gaium nisi iudicium eius optimatium odio turbatum fuisset rem sic non fore meliorem non potuit fugere; equites enim neutiquam praeferendi erant senatoribus.

Item plebs urbana, universi populi gravissime corrupti pars perditissima, ad nullam prorsus rem ei praesidium praebere potuit. Nisi igitur rationem excogitavit Gaius, qua populus corruptus emendaretur, mutationes ab eo factae, quibus imperium ab altera parte ad alteram vel nihil meliorem vel etiam deteriorem transferre voluit, rei publicae nihil prodesse potuerunt. Ut iuvenem in ceteris rebus acutissimum id lateret, acerrimo odio inde ab indigna fratris nece adversus optimates in eo concepto et in dies aucto factum est. Etenim Gaius, quum semel animus eius commotus esset, eodem ardore inimicos oderat quo patriam et amicos amavit; hac de re vid. Cic. de leg. III, 9, 20: C. Gracchus ruinis et iis sicis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem rei publicae statum permutavit? Etiam haec verba quippe quae ab inimicis Gai profecta sint cum summa cautione accipienda sunt. Minime quidem negamus Gai cupiditatem adversariorum pertinacia ita esse inflammatam, ut et ipse omni modo eos vexare et persequi cuperet, sed qui leges ab eo rogatas libero iudicio exploraverit, eas a sola ulciscendi cupiditate ortas esse nunquam concedet. Sed optimatium ad indignissimum facinus partium furore impulsorum plurimum intererat Gai consilia quam suspectissima reddere, quo ipsorum facta si non comprobarentur, at excusarentur.

Hoc igitur iis qui de Gaio recte iudicare volunt semper tenendum est, et ipsum non minus quam Tiberium fratrem ab initio nihil aliud egisse nisi ut rei publicae gravissimis malis laboranti mederetur. Sed adversariorum crudelitate, qua frater amatus indignae neci obiectus et vel corpus mortui omni contumelia vexatum est, et obstinata contumacia eorum, qui omnibus vel salutarissimis consiliis sola ordinis sui commoda intuentes restiterunt, ad maius in dies horum hominum odium instigatus est. Itaque omnes ingenii nervos eo intendit, ut eorum potentiam, quam universae rei publicae perniciosam esse existimabat, infirmaret et tolleret. Hac via ut procederet quum semel eam iniisset necessitate quadam adductus iam non potuit subsistere. Turpissima mala, quae tum rem publicam ita affixerunt ut nisi sublatis iis ea diutius stare non posset, cum aequo animo ferre non

5

posset, ipsius vitam in summum discrimen dare coactus est, si quidem medelam adhibere voluit aegrotanti civitati. Sic et fervente patriae amore incensus et acerrimo optimatium odio stimulatus vitam, quam otiosam omnibusque voluptatibus affluentem agere poterat, patriae condonare et fato genti suae imminenti fortiter obviam ire constituit.

Non possumus autem non identidem affirmare minime nos eos esse qui omnia vel Tiberii vel Gai facta probemus vel excusemus; immo non negamus iam Tiberium ardentissimo studio patriae laboranti succurrendi ad facta abstractum esse minime probanda et violenta. Multo violentiores autem et ad permutandam totam rei publicae formam efficaciores Gai fuerunt actiones. Sed hac in re id nobis videtur diligentur reputandum esse, optimatium amorem patriae, quamquam ii a multis scriptoribus tam effusis laudibus feruntur, Gai amori neutiquam fuisse comparandum. Erraverunt sane Gracchi, sed melior eorum nobis videtur caussa esse qui bona mente erraverunt et vel mortem oppetiverunt, quam eorum, qui dummodo sua tuerentur commoda vel a civium sanguine non abhorruerrunt. Nos omnes graviores veterum locos, quibus Gracchorum mentio facta est, colligere studuimus. Inde hoc nobis apparuit aut temere saepe de Gracchis iudicatum esse aut scriptorum fidem ideo esse dubiam, quod partes adversariorum secuti sunt. Valde igitur dolendum est, quod Gracchorum facta non a scriptore enarrata sunt solam rerum fidem spectante cuius iudicium neque studio neque odio turbatum sit. Nunc autem alii scriptores fide carent narrationis levitate, alii iudicii pravitate. Iidem autem scriptores, qui facta et consilia Gracchorum ad rempublicam pertinentia gravissime vituperant, tamen non possunt ceteras eorum virtutes, humanitatem maxime morumque integritatem, non summis laudibus ferre. Praeterea cum sciamus Gracchos amicos nanctos esse, qui vel mortem pro iis oppetere non dubitarent, consentiemus cum Niebuhrio hoc gravissimum documentum fuisse iudicanti eos singularibus prorsus virtutibus ornatos fuisse. Deinde respicientes, quam rara pietate ambo filii cum Cornelia matre, optimorum morum femina, coniuncti fuerint, non negabimus eos homines fuisse singulari prorsus amabilitate. Hanc autem feminam, quae certe veram filiorum voluntatem et naturam optime nosset, nunquam pudebat in enarrandis filiorum factis et fatis summo cum amore versari. Atque certum est eam, nisi laudabilia filiorum consilia existimasset, non tam saepe eorum mentionem facturam fuisse.

Diu Gracchorum nomina nequissimis plebis concitatoribus admixta sunt, cuius quidem culpae Ciceronis pars primaria est. Usque ad recentiorem aetatem adeo plerique de consiliis eorum in obscuro fuerunt, ut eos omnia bona aequare et summam omnium rerum confusionem adducere voluisse putarent. Niebuhrii maxime auctoritati tribuendum est quod homines de consiliis eorum rectius iudicare coeperunt. Ante illum enim vulgaris fuit opinio agrum privatum ab Gracchis divisum esse, non publicum. Mommsenius qua floret arte res aut nimis tollendi aut indigne minuendi mox laudando mox vituperando eos omnem modum excessit. Multo iustius Niebuhrius, summus ille rerum scriptor, de iis iudicavit, cuius iudicia quum plane probemus hoc loco afferenda putavimus.

Sunt autem eius verba in linguam Latinam translata fere haec: Tiberius Gracchus in optimis iuvenibus illius temporis fuit, summis et ingenii et animi virtutibus ornatus, maxima et inter cives et apud barbaros auctoritate et dignitate. Omnino Gracchorum gens singulari humanitate, verissimo patriae amore, summa erga homines miseros et afflictos

comitate excellebat. Gaius his virtutibus fratri par eloquentia eum superavit. Leges autem Gai, quas quidem accurate novimus, praeclarissimae sunt. Sed est hominum genus natura humile, invidiosum, turpe, qui aliorum virtutibus offendantur. Hoc genus hominum, quod Gracchos sustulit, multo perniciosius est quam ipsa vitiositas generi humano natura insita. His enim hominibus horrori fuit, quod illi tam turpibus maculis, quibus ipsi adspersi essent, carerent; eorum enim exemplo admonebantur officiorum ab ipsis turpissime neglectorum. Itaque quum Gracchos aemulari neque possent neque vellent eos tollere statuerunt. Haec Niebuhrius; iam et nos, ut totius huius commentationis finem faciamus, iudicium nostrum de Gracchis brevibus verbis sic comprehendamus.

Gaius et Tiberius eius frater ab initio nihil aliud spectaverunt nisi ut patriae malis subvenirent. Omnia quae Tiberius voluit fuerunt laudabilia; sed patriae amore et summo studio suo ad facta abstractus est, quae a civitatis legibus abhorrerent. Quodsi autem iam Tiberius optimatium repugnantia ut modum excederet adductus est, Gaium, qui etiam nefandam eorum crudelitatem in fratris caede expertus esset, et naturae impetu et ulciscendi cupiditate longius provectum esse non est mirandum. Sic factum est ut consilia mente ageret, quibus tota rei publicae forma permutaretur et senatorum potentia, penes quos antea tota fere rei publicae administratio fuerat, tolleretur. Sed ne ad has quidem res sola ambitione et imperandi cupiditate adductus est. Cum iis igitur viris, qui totam rem publicam ad suas referrent rationes, quales Caesar, quales Napoleo fuerunt, Gaius neutiquam comparari potest. Quum ardentissimi animi esset, improbis optimatium factis, qui quum suorum tantum studiosi essent commodorum tamen se rempublicam defendere turpissime simularent, ita est ira incensus, ut quasi praeceps ferretur ad actiones sibi ipsi exitiosas futuras. Optimates autem illo tempore potentiores fuerunt quam qui vi loco suo depelli possent; itaque audaces eorum adversarii ipsi tristi morte occubuerunt. Neque vero Gracchi, quorum voluntas ab initio sanctissima fuerat, ideo condemnandi sunt, quod labantem rempublicam consiliis suis sustentare studuerunt. Optimatium maxime culpa fuit, quod respublica gravissima peste infecta iamiam ad interitum ruebat. Ii quidem viros patriae amantissimos indignae morti obiicere non dubitabant, ne quid suis commodis detraheretur. Neque vero satis habuerunt sola corpora eorum perdidisse; etiam famae eorum apud posteros obtrectare studuerunt. Sic autem factum est, ut perversissima quaeque de iis divulgarentur, dum recentiore maxime aetate, quum rectius de rebus et hominibus iudicari coeptum esset, etiam Gracchorum nomina infamia iis adspersa liberata sunt.

